Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Marco Antonio Cucchi

# Marci Antonii Cucchi I.C. Celeberrimi Institutionum Iuris Canonici Libri Quatuor : Omnibus Legum Professoribus, practicis, ac studiosis maxime necessarii. In Hisce Fundamenta Iuris Canonici docte tractantur & explicantur. Iam, A Mendis Pluribus quibus scatebant purgati in Germania eduntur

Rostochii: Rostochii: Pedanus: Hallervordaeius, 1618

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791377776**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791377776/phys_0001
DFG

Fb_3259.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791377776/phys_0002
DFG

MARCI ANTONII CUCCHI
J. C. Celeberrimi

# INSTITUTIONUM JURIS CANONICI LIBRI QUATUOR,

*OMNIBUS LEGUM PROfessoribus, practicis, ac studiosis maximè necessarij.*

IN HISCE FUNDAMENTA JUris Canonici dectè tractantur & explicantur,

*IAM, AMENDIS PLURIBUS quibus scatebant purgati in Germania eduntur.*

Adjecta est hinc, præfatio ad Lectorem D. Hermanni Vulteij J. C. & in Marpurgensium Universitate, professoris primarij; quanta doctrina in hisce Institutionibus contineatur.

ROSTOCHII
Typis Jo. Pedani, Sumptibus Johannis Hallervordæij Bibliopo. Anno 1618.

J. l. - 3259.




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791377776/phys_0006
DFG

# HERMANNUS VVLTEJUS JURISCONSULTUS

*Lectori S.*

*CUM ante annos viginti & unum, Candide Lector, Patavium in Italiam studij juris continuandi causa concessissem, commodùm mihi accidit, ut tum ibi jura docerent excellentißimi Europæ Jurisconsulti Dn. Tiberius Decianus, Dn. Johannes Cephalus & Dn. Jacobus Menochius: & quamvis innotuissem illis omnibus, nullo tamen usus sum familiarius quàm Menochio. Videbatur enim mihi ad illud subtilius & solidius docendi genus, cui me jam Galliæ Doctores as-*

*fuefecerant, quàm cæteri accedere propius. Inde crebri inter nos de juris studio sermones, nec quidquam, quod quærerem, vir optimus ad me dissimulabat. Interrogatus autem de Juris Canonici studio multa ille, more suo, doctè & eruditè respondebat, cum primis autem me adhortabatur ad legendum & relegendum diligenter Institutiones, quas de Jure Canonico fecisset M. Antonius Cucchus Jurisconsultus, ante illa tempora mihi adhuc incognitus. Tanti viri & Jurisconsulti judicio, quod & tum faciebam & adhuc facio maximi, acquiescens faciebam sedulò, quod jusserat: & reipsa tandem experiebar consilij mihi dati salubritatem. Non parum enim me proficere animadvertebam: ita accuratè reperiebam omnia esse scripta, ut quamvis libellus esset exiguus, nihil tamen, quod ad in-*

intelligendum Juris Canonici principia faceret, esset prætermissum. Cùm igitur per quos ego profecissem, per eosdem & alios proficere vellem atque Cucchi Institutiones Canonicas Germaniæ nostræ vix cognitas esse de nomine animadverterem, autor fui industrio viro Dn. Ioanni Theobaldo Schonvvettero, ut librum foliis quidem exiguum, sed rebus ipsis maximum, & ingentes commentarios superantem typis suis Germaniæ nostræ exhiberet: cui consilio meo ipse acquiescens, en tibi istum prodit. Quod si aliquod meum est judicium, certò scio, nec ipsum laboris, nec te, Candide Lector, studij tui pœnitebit. Tu ipse lege, & judica. Marpurgi pridiè Calendar. Septembr. Anno à nato Christo M. D. XCVIII.

# M. ANTONIUS CUCCHUS JURIS CONSULTUS JURIS CANONICI

*Studiosis S.*

CUM tam Juris Cæsarei disciplina, quàm cæteræ ferè omnes propria quædam habeant principia, ex quibus possint tirones ea præcepta haurire, quæ ad interiorem doctrinam ducant, & quodammodo viam sternant, solá verò juris Pontificij scientia hoc commodo careret, non inutilem rem, nec vobis studiosis ingratam me facturum existimavi, si hoc, quod desiderari videbatur, ego pro viribus præstitissem. Suscepi igitur

igitur hoc oneris non gravatè, ut in hoc Enchiridio succum ex toto Pontificij juris corpore delectum tamquam in vasculum conferrem. Hoc enim libello collecta invenietis, quæ ex pluribus voluminibus Decretorum, & Decretalium epistolarum, sexti, Clementinarum, extravagantium constitutionum petenda olim juvenibus juris præcepta erant, eaque sic in promptu sese offerent, ut singulæ ferè orationes præceptionibus, & documentis scateant, ut jam non (ut olim) præcepti unius gratia integra pagina cum longa facti narratione legenda sit: eas verò potissimùm materias attigimus, quæ hujusce juris propriæ sunt illis omissis, quæ juri Cæsareo

communes sunt. Spero autem brevitatem, & stili, ordinisque diversitatem, lectorem facilius allicere, & minore cum fastidio morari posse, quàm prolixa Goffredi, & Hostiensis Compendia, (quas summas vocant) namque (ut illa utilissima quidem sint, & fœcundissima) ad hoc tamen quod nobis in præsentia est, propositum, meo quidem judicio, non admodùm conferunt. Quare si ex animi mei sententia res evenerit, ut studiosos hoc nostro qualicunque libello adjuvari videam, lætabor, & magnam ex hoc voluptatem percipiam, & magnum nobis, uberemque fructum ex laboribus nostris, sic redditum existimabo, ac quantùm studio, &

labo-

labore contendere potero, curabo, ut posim alia quoque in posterum ad publicam utilitatem afferre: Sin minus voto nostro eventus responderit, at propositum nostrum utilitati publicæ deserviendi (ut puto) vituperandum non erit, & sic fortè alijs materiam præbebimus, ut fœlicioribus laboribus id assequantur, quod nos sequuti sumus. Ne quis tamen nos carpat, quod eundem titulum, quem Justinianus Cæs. operi nostro præscripserimus: sciat Institutionum vocabulum non legum authoritatem sonare, (etsi illæ Justiniani ab authore hanc vim nanciscì potuerint) quod libri Institutionum oratoris, Institutionum divinarum, Institutionum Gram-

matices, aliæque hujusmodi perspicuè declarant, quare nihil in hoc titulo esse puto, quod nobis arrogantiæ abscribi possit. Accipite igitur Juvenes studiosi animis lubentibus hoc (quicquid est libelli) animumque nostrum agnoscite, & boni consulite. Valete.

RU-

ELENCHUS RUBRIC.

# RUBRICÆ PRIMI LIBRI.


*De Jure Pontificio.* 1
*De Rescriptis.* 2
*De ordinibus Clericorum.* 3
*Qui ordinari & promoveri possunt, vel non.* 4
*De temporibus ordinationum.* 5
*De his qui potestatem habent ordinandi, vel literas commendatitias dandi.* 6
*De electione.* 7
*De postulatione prælatorum.* 8
*De translatione Episcopi.* 9
*De confirmatione electi, & consecratione.* 10
*De authoritate & usu pallij.* 11
*Officio ordinarij.* 12
*Officio legati.* 13
*Officio delegati.* 14

Officio conservatorum. 15
Officio Archidiaconi. 16
Officio Archipresbyteri. 17
Officio primicerij vel cantoris 18
Officio sacristæ, & custodis. 19
Officio utriusq; Vicarij, 20
Visitatione per Prælatos facienda. 21
Procurationibus. 22

## Rubricæ secundi libri.

Regularibus & eorum statu. 1
Vita & honestate clericorum. 2
Qui clerici matrimonium contrahere possint, qui non. 3
Clericis non residentibus. 4
Voto. 5
Prabendis. 6
Prohibita benefi. multiplicitate, & sectione. 7
Pensionibus. 8
Jure patronatus. 9
Quibus modis beneficia vacent. 10

Reli-

*Religiosis domibus, & earum subjectione.* 11
*Consecratione Ecclesiæ vel altaris.* 12
*Ecclesijs ædific. vel restituendis vel sarciendis.* 13
*Renunciatione.* 14
*Immunitate Ecclesiarum.* 15
*Decimis.* 16
*Quando & quibus solennitatibus res Ecclesiæ alienari possunt.* 17
*Peculio clericorum.* 18
*Testamentis.* 19

## Rubricæ tertij libri.

*Sacramentis Ecclesiæ.* 1
*Baptismo.* 2
*Confirmatione.* 3
*Sacramento pœnitentiæ.* 4
*Sacramento Eucharistiæ.* 5
*Sacra unctione.* 6
*Sacramento ordinis.* 7
*Sacramento matrimonij.* 8
*Sponsalibus.* 9

*Desponsatione impuberum.* 10
*Divortijs.* 11
*Conversione conjugaterum.* 12
*Gradibus cognationum.* 13
*Gradibus & generibus affinitatis.* 14
*Cognatione spirituali* 15
*Judicijs.* 16

Rubricę quarti & ultimi libri.

*Quibus modis de crimine agatur* 1
*Simonia.* 2
*Hæreticis.* 3
*Schismaticis.* 4
*Apostatis.* 5
*His qui crimen hæresis quærere & vindi. poss.* 6
*Usuris.* 7
*Crimine falsi.* 8
*Diversis delictis.* 9
*Pœnis.* 10
*Excommunicatione.* 11
*Interdicto.* 12
*Cessatione.* 13

IN.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791377776/phys_0018
DFG

# INSTITUTIONUM JURIS CANONICI

## Liber I.

### TITULUS I.

### *De Jure Canonico.*

IUs Canonicum (id est, constitutio ecclesiastica, *distin. 3. in summa.*) nihil aliud continet, quàm quod in divinis scripturis, & legibus invenitur: divinæ verò leges natura consistunt: quo fit, ut quæcunque divinæ voluntati, seu canonicæ scripturæ contraria probantur, eadem etiam naturali juri inveniantur adversa: & quæcunque divinæ voluntati, seu canonicæ scripturæ, seu divinis legibus postponenda censentur, eisdem naturale jus præferri opor-

oporteat. *c. fi. dist. 9.* Hoc autem vocabulo Juris Canonici appellatur, quod normam rectè & bene vivendi præbet, vel quod distortum pravumque corrigit. nam, Canon, Græca vox, Latinè, Regula, interpretatur.

Constat autem Jus Canonicum, vel ex constitutionibus in generali Christianorum Concilio statutis, quas proprio nomine Canones vocant, vel his, quæ à sum. Pont. nunc solo, nunc Patrum Cardinalium Concilio adhibito, vel ultro, vel etiam aliquo interpellante factæ sunt, & omnes indistinctè adstringit. *c. 1. de constit.* Quod verò in concilijs singularum provinciarum, aut synodis per Episcopum vocatis jus statuitur ejus provinciæ, civitatisve, & diœcesis homines duntaxat devincit.

Sunt tamen & quædam leges privatæ, quæ vel odio, vel favore alicujus speciali, contra communes juris normas factæ sunt, quæ privilegia appel-

appellantur, nec ad exemplum sunt trahenda. *c. regula. in fi. dist. 3.* Sed & consuetudinis, id est juris illius, quod moribus instituitur, non vilis est autoritas, nam pro lege suscipitur, cum nec sacris canonibus, nec humanis legibus obviat. *c. consuetudinis. 11. distin. ca. fin. de consue.* At cum legum Pontificiarum constitutio deest, nec ulla consuetudo extat, secularium leges adiri possunt. *c. 1. ubi not. de nou oper. c. 1. & seq. dist. 10.*

Hoc cujusuis constitutionis proprium est, ut futuris negotijs scripta intelligatur, non præteritis, nisi id expresserit. *lc. 2. de constitu.*

## TITULUS II.

### *De Rescriptis.*

SOLENT etiam Roma. Pontifices Epistolas nonnunquam ad lites, vel beneficia subditis dare, quæ rescripta appellantur, quorum cum frequens admodum in jure nostro sit mentio-

mentio, cumque jus inter partes statuant. *Docto. in rubri.* non abre fuerit hoc loco pauca admonere. Hæc igitur prima lex in rescriptis sancita est, ut hæc conditio, Si PRECES veritate nitantur, illis semper inesse intelligatur. Et quodcunque rescriptum causæ inhibuerit cognitionem, falsi suspicione non caret. *c. 2.*

Nec illi rescripto standum est, quod manifestum contineat in constructione peccatum. *c. ad audientiam. t.* Literæ tamen unius defectus rescriptum non vitiat, veluti, si spliarunt pro spoliarunt, O figura omissa scriptum sit. *c. ex parte. ubi gloss. de fide instru.*

Ordo autem & structura, rescripti verborum interpretationem à jure accipit. *c. causa quæ.* Finge exempli causa, Pontificem ita rescripsisse: si alterutra Pars legitimè citata vos adire, aut judicio vestro parere contempserit, vos præsentis partis probationes admittere, & quantum de jure pote-

poteritis, in causæ cognitione, & decisione procedere ne differatis: hic quippe verborum ordo præposterus est. nam cum ex regula probationes non nisi lite contestata admittantur, ex supra dicta oratione tamen mandari videbatur, ut parte absente, atque ita nondum contestata lite admitterentur: sed quia hoc juri adversaretur, clausula illa, QUANTUM de jure poteritis, in anteriorem locum est transferenda post illa verba, VOS præsentis partis: ut hic sensus resultet, probationes parte absente accipiendas, quatenus ex jure liceat. *6. causam quæ.*

Rescriptum per mendacium aut veritatis occultationem impetratum ad beneficia, nullius momenti ipso jure censetur: ad lites verò hac arte obtentum rescriptum exceptione oppositâ refellendum est. *Felin. c. ad audientiam. 2. n. 17. & 22. & c. super literis. nu. 7.*

Rescriptum posterius priori præfertur,

fertur, de quo mentionem habet *c. cæterum §. 1. ii doc.* & speciale generali; *c. pastoralis. §. quoniam & c. studuisti de offic. lega.* extra quos casus antiquius præfertur, modò segnis non fuerit illius impetrator in eo reddendo, ubi nullum certum beneficium in eo designaretur, *Abb. c. capitulum nu. 4.* & dummodo in rescriptis ad lites exceptio fuerit posteriori opposita *c. si autem c. plerumque c. cæterum Abb. ubi supra. nu. 8.*

Qui plura contra eundem, super eadem re, ad diversos judices rescripta retulerit, nullam invicem habentia mentionem, omnibus uti non erubescens, omnium commodo carebit. *c. ex tenore.*

Nunc admonendi sumus jus canonicum, aut circa personas versari, aut circa res, aut circa ecclesiæ sacramenta, aut denique circa judicia: de quibus omnibus est nobis sigillatim his libris explicandum. & primùm de per-

personis, quarum causa cætera omnia adinuenta sunt.

## TITULUS III.

### *De Ordinibus Clericorum.*

DUo sunt Christianorum genera. Alterum quod mancipatum divino officio, & deditum contemplationi, & orationi à temporalium strepitu vacare convenit: qui appellantur Clerici, id est, in sortem lecti, nam eos potissimùm Deus sibi delegit. *c. cum secundum, de præbend. & c. clericum. 12. q. 1.* Alterum genus est eorum, qui Laici vocantur, id est, populares. *cap. duo sunt. 12. quæst. 1.* Superius Christianorum genus in duo genera diducitur: nam aut seculares sunt clerici, aut regulares, qui & religiosi vocantur, quia omnium maximè religioni inservire profitentur, de his infra separatim tractabitur.

Horum omnium clericorum novem sunt ordines, seu gradus: nemo enim

enim potest nisi per gradus ecclesiæ ad summum sacerdotium pervenire: nam casum appetit, quicunq; ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. *c. unde cle. per sal. primo. c. sollicitudo. 52. dist. c. si. 48. dist.*

Infimus ordo est eorum, qui primam tonsuram tulerunt, quos psalmistas vocant: nam & hic jure nostro inter ecclesiasticos ordines refertur. *c. cum contingat. ubi gl. & doct. de ætat. & qual.* quare nec quisquam in eos citra excommunicationis pœnam manum injuriosam injiciet. *c. cleros. ubi glo. 21. dist. c. si quis suadente diabolo. 17. q. 1. à gl.*

Quatuor deinde sunt ordines, seu gradus, qui tametsi non levibus privilegijs fruantur, & sacri sint, quia tamen his comparati, de quibus mox sumus dicturi, tenuiores habentur, idcirco sacrorum ordinum appellatione regulariter non veniunt, sed minores vocantur: qui sunt Ostiarij,

Lecto-

Lectores, Exorcistæ, & Acoluthi, quibus omnibus sua sunt munia sigillatim divisa.

Supra hos sunt alij quatuor ordines, quos mox dicebamus, vel sacros, vel majores appellari: hi sunt, subdiaconi, qui infimi sunt, mox Diaconi, dehinc Presbyteri, & supremi Episcopi. explosa est enim eorum sententia, qui Episcoporum extare ordinem discretum inficias ibant. *c. 1. ù Ab. nu. 6. de consecra. alt. Gemi. prob. sex. ubi glo. ver. Episcopus. Abb. d. cap. cum contingat. Fel. cap. sicut pro certo. de simon.* Item quamvis Urbani secundi temporibus subdiaconi sacris ordinibus non annumerarentur, ideoque nemo ex eo ordine ad Episcopatum eligi posset, Innocentius tamen Tertius declaravit hunc quoque ordinem sacrum esse, & ex eo ad Pontificiam dignitatem eligi quem posse. *cap. à multis de ætat. & qualita. cap. miramur. ubi gloss. de Seru. non ordin. Abb. cap. non potest. num. 4. & colum. 3. de re judica.*

Supra-

Supremus igitur ordo Episcoporum, quihoc nomine decorantur, quod populorum sibi creditorum mores speculari debeant. Et hi in quatuor classes divisi sunt, videlicet simplices Episcopos, Metropolitanos, Archiepiscopos, & Patriarchas. *d. cap. cleros. §. episcopus. 21. dist.*

Episcopi singulis civitatibus cum diœcesi præsunt.

Metropolitani, qui & Archiepiscopi quandoque nuncupantur, singulis provincijs præsident. provincia autem dicitur, quæ habet decem, aut undecim civitates. *cap. scitote. 6. quæst. 3.* Archiepiscopi seu Primates dicuntur, quibus Metropolitani subijciuntur, cæterique ejus provinciæ Episcopi: ejusmodi sunt Cantuarien. Aquileien. & Bituricen. & hi Patriarchæ interdum appellantur. *c. cleros per totum. 1. distinc. & cap. si quis episcopus. & c. si inter episcopos. 6. quæstio. 4.* Patriarchæ tamen propriè sunt, illi summi Pa-

tres,

tres, qui primum post sum. Pont. locum obtinent. Quatuor enim sunt, videlicet, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus. hic enim ordo inter eos ex Concilio generali Innocentiano hodie servatur, quamvis olim Alexandrino prima sedes post Romanum competeret. *cap. antiqua de privileg. distin. 22. in summa. ubi glo. & cap. sacrosanc. Ro. in fi. & cap. sancta Romana eccles. in extravagan. comm. de elect.* omnes tamen hi quatuor eodem Episcoporum ordine continentur, quamvis alius alio latiorem habeat jurisdictionem, & hac de causa nominibus etiam distincti sint.

Quin & ipse Roman. Pont. eodem Episcoporum ordine censetur, sed potestatem habet cæteris latiorem: est enim urbis Romæ seu verius universi terrarum orbis Episcopus, *gl. proœm. sex. versicu. Episcopus. Felin. cap. sum nobis. nume. 5. de præscript.* quamvis

vices suas sic alijs impartivit ecclesijs, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. *cap. decreto. ad fin. &t. qui se scit. 2 quæst. 6. & cap. multum stupeo. ad finem 3. quæst. 6.* nam una est à Christo ecclesia per totum mundum in multa membra divisa: & Episcopatus unus multorum Episcoporum concordi numerositate diffusus. *cap. novatianus. 7. quæst. 1.*

Erant etiam olim quidam, qui Chorepiscopi dicebantur, Episcopis quidem inferiores, presbyteris autem majores, & non solùm civitatibus, quemadmodum Episcopi, sed etiam vicis præfici poterant, sed eorum hodiè abolitus est usus *d. c. ecclesijs. 6. quamvis. & cap. chorepiscopi. 68. dist.*

Cardinalatus autem dignitas, & officium est, non ordo, *Felin. in rub. de major. & obe.* quod vel ex eo cognoscere licet, quod alij Cardinales Episcopi nuncupantur, alij Cardinales Pres-

Presbyteri, alij Diaconi, nemo autem cardinalis efficitur, qui infra Diaconorum ordinem sit: quemadmodum nec quisquam inter canonicos suffragij jus habet, qui saltem subdiaconus non sit. *Ab. c. extirpandæ. §. quia verò nu. 7. de præben. cler. ut hi. de æta. & qual. & ubi gloss.* Habent tamen Cardinales propter ejus dignitatis prærogativam Pontificiam Jurisdictionem in ecclesijs sibi in titulum assignatis, alijsque ipsi titulo subjectis, etsi ipsi in Episcopotum ordine cooptati non sint. *Ab. ca. hu quæ de major. & obed. 2. net. per illum tex. Felin. c. cum venerabilis numer 34. de except. & est com. secundum Mandos. in reg. 7. quæst. 2. num. 10.* Horum officium, & potestas est, summum Pontificem eligere, ejusque lateri hærere, ut consilium suum moniti in gravissimis quibusque ecclesiæ Rom. negotijs impertiri possint. *Doct. in rub. de const. ubi Felin. colum. 2. & Be.* quod ut omnino observent, non multis ab

hinc annis in generali concilio Lateranensi, sub Leone. X. statutum est.

Hinc & hi fratres à summo Pontifice appellari solent, modò, ubi singuli appellantur, Episcopi sint: sic & Episcopus Canonicos fratres nuncupare solet. *Ab. c. novit. col. 3. de his quæ fi. à prælat. c. 1. in fi. ubi glo. de offic. lega. in 6.*

Altera est clericorum divisio, quod alij officium habere dicuntur, alij dignitatem, alij personatum.

Et dignitas quidem est ecclesiasticarum rerum cum jurisdictione administrandarum potestas: unde Episcopatus licet ordo sacer sit, tamen dignitatem etiam habet, & hinc Cardinales quoque in dignitate constitutos esse diximus: in quo numero etiam censentur Archidiaconus, & Archipresbyter, Abbas, Præpositus, Prior, & quivis collegiatæ ecclesiæ præfecti, quocunque nomine vocentur, omnes dignitatem habere dicuntur. *Ab. ca. de multa. num. 22. Fel. rubri.*

de

*de offic. de leg.* Personatus est prærogativa in ecclesia omni carens jurisdictione: veluti, si quis sedem habeat præ cæteris in choro eminentem. Officium autem est jus administrandarum rerum ecclesiæ sine jurisdictione. *Ab. d. c. de multa. Feli. d. rub. Io. de Sel. tract. de benef.*

Alij verò sunt, qui neque officium, neque dignitatem, neque personatum habent, sed privati clerici sunt, quamvis interdum jurisdictione aliqua non careant: veluti simplices Ecclesiæ Rectores. *Ab. c. cum contingat. num. 31. de foro compe.* Ecclesiæ autem cathedralis canonici, his, qui in dignitate sunt, ferè comparari possunt. *c. statutum de rescri. in 6.* Et hæc satis sit dixisse de ordinibus clericorum. Nunc videamus qui ad dictos ordines admittere, quive admitti possint.

## TITULUS IV.

### *De his, qui potestatem habent ordinandi & literas commendatitias, seu dimissorias dandi.*

ORdines igitur suprascriptos assignandi potestas penes Episcopos est, qui tamen caveant, ne in alienam messem falcem immittant, alienos subditos ad ordines promovere, sibi arrogantes, licentia ab eorum Episcopis non habita: nam, si hoc admiserint, totum annum ad ordines quempiam cooptandi potestate interdicti erunt, qua re vulgata poterunt eorum subditi etiam sine venia à vicinis Episcopis ordinibus associari. *c. 2. de temp. ordin in 6.* Episcopo autem quis tribus modis subesse potest, origine, sacerdotio, & domicilio. *c. cum nullus. ibidem.*

Cæterum alij prælati Episcopis inferiores tam religiosi, quàm seculares,

lares, putà Abbates, Archipresbyteri, Archidiaconi non possunt clericis subditisve suis potestatem facere alienos Episcopos adeundi, ut ab eis ad ordines promoveantur, nisi hoc privilegium speciale eis à summo Pontifice concessum sit, *d. c. cum nullus. ubi glo.*

Nec officiales Episcopi literas commendatias dandi jus habent: nisi mandato speciali à suo Pontifice hoc juris habeãt: vel nisi Episcopus in oris agat longinquis: tunc enim ejus vicarius generalis in spiritualibus commendatorias literas dabit. at si interregnum sit, capitulum, vel his ad quem sede vacante spiritualium devoluta fuerit administratio, hujusmodi literas concedent. *d. c. cum nullus.*

Presbyter quoque qui Episcopalem in laicos habet jurisdictionem, & Abbas presbyterorum ordini associatus, & benedictionis munere donatus, possunt psalmistas creare. *c. cum*

*contingat. ubi Alb. de æta. & qual. c. 1. ubi glo. distin. 69.*

Præfecti locorum non exemptorum, eorumq; socij ab Episcopis promoveri possunt, quorum in diœcesi residēt, quamdiu ibi morantur, quamvis inde oriundi non sint. *d. c. cum nullus §. fin.*

Græci à Latinis, & versa vice, ubi eorum ritus differunt, ad ordines provehi non possunt, ne rituum fiant commixtiones. *c. cum secundum. c. quod ad translationem de temp. ordi.* Sed in concilio generali Innocentiano provisum est, ut Episcopus, qui varios linguis, & ritibus populos regit, viros idoneos præficiat, qui juxta eorum ritus eis sacramenta ecclesiastica sufficiant, & divina officia celebrent, *c. quoniam in plerisque de offic. ordin.*

At si quis transalpinus ab Italo Episcopo ordinum consociationem postulet, non debet eum Episcopus promovere, nisi vel à summo Pontifice

ce ſpecialem licentiam habuerit, vel Epiſcopi, cui ille ſubeſt, literas patentes legerit, quæ cauſam ad hoc idoneam teſtentur, quare ipſe noluerit, aut non potuerit ad ordines petitos admittere. *c. 1. ubi glo. ver. Italia. de temp. ordi. in 6.*

Non omittendum eſt, eum, qui à ſummo Pontifice ad aliquem ordinem evectus ſit, non poſſe ad ſublimiores ordines pariter ab alio, quàm à ſummo Pontifice promoveri licentia ipſius ſummi Pontificis non impetrata. *c. cum in diſtribuendis. de temp. ordin.* non ideo tamen ordinarij ſubtrahitur poteſtati. *c. per tuas de major. & obedien.* Epiſcopus autem magis proprio vocabulo conſecrari dicitur, tametſi & hunc ordinem eſſe ſupradixerimus. de quo aliàs.

## TITULUS V.

## *Qui promoveri ad ordines non poſſunt.*

NOn tamen cuicunq; petenti est supradictorum ordinum aditus patefaciendus, certæ enim personæ prohibentur, quibus cognitis simul intelligemus, quæ admitti soleant. Primùm clericus fieri non potest servus *c. 1. de seru. non ordin.* qui tamen matre est ingenua editus, & si patrem habeat servum, cum servus ipse non sit, ab ordinibus non arcetur. *c. fi. eo. tit.*

Item qui sunt ex fornicatione, præsertim à presbyteris nati, ad sacros ordines non ascendunt, nisi ut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes: nullo tamen modo ad præfecturas admittuntur. *c. 1. de fil: presbyt.* Nec tamen adimitur Episcopo facultas indulgendi illegitimis, ut ad minores ordines, & beneficia simplicia, & cura animarum soluta pervenire possint: ad majores autem ordines, & beneficia cum cura ascendere cupientes, sedem

sedem Rom. adire eos oportet. *c. 1. eod. tit. in 6.*

Item bigami, & qui ex Agathensi concilio sibi indictam pœnitentiam subierunt, ad sacerdotium non admittuntur. *c. 1. de bigam. c. in capite. distinct. 50.* Bigamum autem intelligimus, qui duas nuptias expertus est, quamvis nunc omnino cœlebs sit, & quamvis alteram earum uxorum ante baptisma habuisset. *c. 3. de big. c. si. dist. 26.* Sed & si quis alterum conjugium de facto consummarit, postquam morte primæ uxoris solutus ad sacros ordines promotus erat, Bigamis annumerabitur propter affectum intentionis cum opere subsecuto, licèt verè bigamus non existat, cum sacramentum non desit. Unde & ille qui in subdiaconatus ordine constitutus de facto tantùm, quia de iure non potuit, duxit viduam in uxorem, licet bigamus non existat, nec viduæ possit propriè dici maritus. cum inter

ipsum & illam non fuerit vinculum conjugij contractum, cum eo tamen contra doctrinam Apostoli, tamquam cum marito viduæ dispensare non licet, non propter sacramenti defectum, sed effectum intentionis cum opere subsecuto. *c. fi. de biga.* Bigamus tamen non censetur, qui plures concubinas habet. *cap. quia circa. eod. titul.* nec is qui mulierem ab alio viro ductam, sed minimè cognitam duxit uxorem, quia nec illa, nec ipse carnem suam divisit in plures, propter hoc impediri debet, quin possit ad sacerdotium promoveri. *cap. debitum in fin. de bigam.*

Item qui procuratores, actores, aut tutores pupillorum, vel curatores fuerunt, non possunt nisi onere deposito, & reddita administrationis ratione ad ordines admitti. *c. de obliga. ad ratioci.*

Sed nec admittuntur quorum corpus aliquo defectu deformatum est,

est, veluti, qui manu carent, vel digitis frangendæ Eucharistiæ aptis. *c. 1. de corpo 8. & c. presbyterum. de cleri. ægrot.* parvus tamen corporis defectus nihil impedit, putà vnguis, vel dentis detrimentum, oculive non deformis macula. *c. 2. & c. fin. de corpo. vitia.*

Et potest Episcopus presbitero, qui in monomachia digiti partem amiserit (non tamen tantam, quin possit sine scandalo solenniter celebrare) indulgere, ut in ordine suo ministret. *c. 1. eod. titu.* Quemadmodum etiam potest sua, & apostolica authoritate sacerdoti alioqui idoneo sacerdotale officium permittere, qui virilia sibi ultro amputarit credens sibi ingens hoc facto meritum apud Deum quæsitum iri, huic tamen altaris non concedet ministerium. *ca. significavit. eod. titu.* nisi justa quæpiam causa ad hoc eum impulisset, *ca. ex parte M.* at qui in cunabulis sectus est, licitè promovetur. *c. ex parte B. eod. tit.*

Item criminibus gravibus notati non promoventur. qui tamen crimini occulto, homicidio excepto, *c. fin. de temp. ordinat.* illigatus est, ex his, quæ, si forent manifesta, deponendo etiam delinquenti satis essent, ordinibus acceptis uti potest, acta prius pœnitentiæ illi indictæ parte, quinimò amicè quidem erit monendus, ut illos ne velit ambire. *c. ex tenore ubi Butri. de temp. ordin.*

Illiteratus quoque non potest tonsuram primam capere, nec conjugatus, nisi volens religionem intrare, aut ad sacros ordines promoveri: prout est sacris canonibus diffinitum. *c. fin. de temp ordin. in 6.*

Et cum in teneris annis non possit consilij, & morum maturitas vigere, quæ ante ætatem, ut plurimum venire non solent, idcirco certa ætas in singulis ordinibus desideratur, nam primùm ad infimum etiam ordinem nemo infans, id est minor septem

septem annis admittitur, nisi, ut religioni se devoveat. *d. ca. fin. ubi glo. ver. infanti.* Ad quatuor autem alios ordines minores, ubi excessit infantiam, quis aspirare potest. *glo. clem. fin. in fin. de æta. & quali. & glo. in summa. 77. distin.* At subdiaconus anno decimooctavo, diaconus vicesimo, Presbyter quinto supra vicesimum, Episcopus tricesimo quis potest esse. *ca. in singulis. 77 distin. d. clem. fin.*

## TITULUS VI.

### *De Temporibus ordinationum.*

CErta præterea tempora statuta sunt, extra quæ nefas sit ordinibus quempiam aggregari, nam statis quatuor anni tempestatibus, quibus ab ecclesia indicuntur jejunia, & sabbato, quo Christi exurgentis piè colitur & celebatur memoria, item sabbato, quod diem dominicam, quæ de passione dicitur præcedit, quæ media quadragesimæ hebdomada est, sacri ordi-

ordines expleri possunt. *c. ordinantes. 75. distinct.* alijs diebus non possunt, nisi ab ipso summo Pontifice, nec consuetudine ulla hoc jus mutari potest. *c. sanè de temp. ordina.* & supradictis temporibus non observatis, qui contra hæc ad ordines fuerint recepti, ab illis tamdiu reddi expertes debent, donec fuerint restitutionis gratiam consequuti: quiq; eos admiserit, prohibebitur alios deinceps ad hos ordines promovere. *c. cum quidam c. sanè. c. literas. eo. titu.* nec minus tamen hoc modo recepti Charactere compuncti erunt, prohibentur enim tantùm, quæ ejus sunt ordinis exequi, quamvis intra ordinem sint. *ca. consultationi. eod. tit. Ab. d. c. cum quidam. nu. 5.*

Minores autem ordines quibuslibet festis diebus uni aut alteri conferri possunt. *c. de eo. eod. tit.*

Eadem autem persona eodem die vel duobus continuato jejunio ad duos ordines sacros ascendere nequit:

quit: quinimò, si quis aliquem eodem die ad plures sacros ordines admiserit, est tandiu ab ordinandi potestate suspendendus, donec gratiam meruerit obtinere *c. dilectus eo. tit.*

Vidimus de ordinibus clericorum, quique ad eos ordines admittantur, quive admittendi potestatem habeant, & quibus temporibus. Deinceps videndum erit de officijs & dignitatibus eorum, quæ cum electione frequenter conferantur, prius de ipsa electione nobis differendum est.

## TITULUS VII.

### *De Electione.*

ORdinarium est, ut non possit quis dignitate aut munere aliquo præcipuo in aliquo collegio eminere, nisi ab ipso collegio ad id lectus sit, seu Episcopi, seu alterius Præfecti nomen affectet. *c. 1. eod. tit.* Quinimò & Pontifex ipse Roman. qui-

qui universi orbis habenas moderatur, Christi vicaria opera fungens in terris, eo fastigij non nisi ex Cardinalium electione assumitur, in qua celebranda, quæ forma vel solennitas exigatur, diserte præscripsit Greg. X. in generali concilio Lugdunensi, & Clemens V. unde petenda est, nam hodie ferè servatur. *ca. ubi periculum. in 6. & clem. ne Romani.*

Verùm quia ipse Roman. Pontifex eorum primam curam gerit, quæ animarum salutem respiciunt, quibus dum intentus est, contingit nonnunquam ecclesiam insanis perditorum hominum furoribus & bellis vexari, quibus ut forti manu obviam iri possit, Pastore ipso interim à divinis ministerijs non avocato, strenuo atque impigro duce opus erat, atque in Christianum nomen propenso, cujus armis & prudentia Ecclesiæ hostes comprimi possent, atq; ita ejus ductu & auspicijs Ecclesia con-

conquiescere, idcirco Imperator Roman. creatur: quem hodie certi Principes Germani eligunt, Pont. Rom. examine prævio approbat, inungit, consecrat, ac demum corona donat, aut, si eum tanto culmine dignum non judicarit, quia fortè eum sacrilegum, vel excommunicatum, fatuum, vel hæreticum aut paganum invenerit, rejiciendi etiam potestatem habet, licet etiam concordibus suffragijs electus esset. Sed & cum illos segnes videt, quibus deligendi Imperatoris potestas comperit, potest Summus Pont. eorum incuria animadversa, (quæ in tantæ molis negotio omnino fugienda est) ipse ea vice, hoc eligendi munere fungi: aut, si paria electorum suffragia diversos petentium viderit, ejus arbitrio committetur, quem ex eis consecrare, & corona donare voluerit. *c. venerabilem.* sed de hujus electione alibi diffusè: nos hic de illis electionibus tractemus,

mus, quæ cuivis præfecto communes esse possunt.

Principiò igitur sciendum est, tribus modis electionem fieri solere, nam vel omnes, penes quos potestas est eligendi, repentè quodam quasi divino spiritu afflati, nemine eorum in diversa trahente in eundem eligendum conveniunt, quæ electio in optimos homines Dei voluntate quandoque incidit. aut electores, seu, ut se hoc eligendi onere liberent, seu fortè, ut minore turba res exitum sortiatur (quæ solet plerumque in hujusmodi negotijs oriri) in aliquos vel ex suo collegio, vel etiam extraneos homines id muneris ex compromisso ea vice transferunt, aut denique (quod frequentiùs contingit) ipsi singulas omnium sententias inter se exquirentes eum eligunt, qui crebrioribus prudentiorum calculis optatus fuerit. *cap. quia propter.* Ad electionem autem faciendam omnes evocandi sunt, qui-

quibus suffragiorum jus competit, modò in provincia sint, nam vel uno omisso electio infirmari potest. *c. bonæ memoriæ. 1. c. coram. ubi glo. & c. in Genesi.* Eligere autem possunt omnes ex illo collegio, cui pastor, vel minister dandus est, modò idonei sint. sed excommunicationi illigatus jus eligendi nullum habet. *c. illa quotidiana ubi doct. eodem titu. & c. fin. ubi doct. de procu. & c. fin. de cleri. excommun. ministr.* nec quis in cathedrali, aut collegiata ecclesia, seu seculari, seu regulari suffragiorum jus habet, qui in subdiaconorum ordine receptus non sit. *cle. ut hi de ætat. & qualit. ubi glo.* nec qui ad eos ordines intra annum (cum posset) promotus non est, quos dignitas, personatusve, aut officium suum exigit. *d. clem. ut hi.* nec qui illi regulæ, cui pastor dandus est, nondum ita se addixit, ut inter professos vel tacitè, vel expressè censeri possit, cum professis deligendo prælato in ecclesijs regulari-

laribus, vel monasterijs suffragari poterit: nec laici conversi (ut vocant) cum clericis in comitijs intererunt. *c. ex eo. in princ. & fin. cum glo. in 6.* quanto minus laici simplices: repelluntur enim, quamvis ecclesia, cui præfectum dare volunt, eorum in patrocinio esset, contraria etiam consuetudine non obstante. *c. sacrosancta. & ca. massana & utrobiq; glo. & doct.* Et quisquis electioni de se factæ per secularis potestatis abusum consentit contra canonicam libertatem, electionis commodo carebit, & ineligibilis fiet, nec absque dispensatione ad aliquam dignitatem eligi valebit. Acqui electione hujusmodi, quæ ipso jure irrita censetur, præsumpserint, celebrare, ab officijs & beneficijs, per triennium penitus suspenduntur, eligendi tunc potestate privati. *c. quisquis.*

Eligendum quoque undequaq; idoneum esse oportere nemo ambigit.

Suffra-

Suffragia autem pura, certaque esse debent, non sub conditione, incertave, aut ambigua, aut alternativa ferri. inania enim hæc essent, & non modò cæterorum vim non impedirent, sed etiam illis accrescerent. *c. 2. in 6.* Nec suffragium per literas absentis declaratum valet, licet nullus ex collegio vellet ipsius esse procurator, nec ipse nolente capitulo extraneum valeat deputare. votum enim non ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secretè, & sigillatim tantum modo est exprimendum *c. si quis. §. sin. in 6.* Per procuratorem quidem licebit votū exarare, qui ejusdem collegij sit, modò juste impeditus dominus absit, quod (si opus fuerit) jurejurando affirmare eum oportebit, & dummodo ibi sit, unde vocari cum ad electionem celebrandam oporteat. *d. ea quia propter §. illud autem.* Procurator, autem quem suo nomine legerit in eundem vice domini eligere debet, nisi speciali

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791377776/phys_0051
DFG

li mandato domini ei præscriptum sit, quem vice ipsius eligere debeat. *d. cap. si quis. §. porrò. in 6.*

Non tamen necesse est, omnium suffragia in unum convenire, sed tantùm majorem, sanioremque collegij partem. Nec rursus satis fuerit quem plura competitoribus suis puncta retulisse, nisi eadem dimidiam totius collegij partem transenderent. *cap. ecclesia vestra.*

Cæterùm duabus electionibus factis ea firmissima est electio, quæ oppositam electionem duplo majore suffragiorum numero superarit. hæc enim nisi electorum authoritate penitus sublata infirmari nequit, veluti excommunicatione majore, suspensione, depositione, simonia. *cap. penultim.* aut electi enormi insciția, aut simili exceptione opposita. *cap. cum nobis.* alia verò levior exceptio electoribus, aut electis opposita nihil obesit, veluti si suam ipsorum, aut electi

gravi-

gravitatem, scientiam, integritatem illa adversarij majorem asserant. *c. si quando in 6.*

Sed, ne quid vos lateat, hæc forma in electione celebranda observatur, imprimis enim collegium ex suo corpore idoneos aliquos homines eliget, quorum cura sit, omnium ex collegio sententias secretò, & sigillatim exquirere, & describere: illi mandato perfecto omni cunctatione abjecta, quicquid sequutum fuerit, palàm in collegio recitabunt: quo facto non licebit electoribus amplius vota sua revocare, vel mutare, *ca. publicato.* Divulgatione scrutinij facta in collegio, ipsa suffragia sunt inter se conferenda, &, quæ plura majorisq; ponderis fuerint, eligenda, moxq; electio pronuncianda, *d. cap. quia propter. in princ. & fin.* ad quod etiam per superiorem, si oportuerit, compelli possunt, *dict. ca. publicato.* nec sufficit electionem aliquo facto,

cujusmodi est deportatio, declaratam esse, *ca. ecclesiæ vestræ. ubi doct.*

Electione facta ea scriptura publicæ credita electo offerri debet octo dierum spatio, *c. cupientes. §. cæterùm & in princ. in 6.* ex quo id commodè potest, ejusq; consensus peti: quod spatium Nicolaus III. præfixit, cum nullus olim terminus definitus esset, sed jusdicentis arbitrio relinqueretur, *cap. quam sit ubi glo. ver. quam citiùs. in 6.* ille verò acceptis electionis suæ codicillis, intra mensem assensum suum, si eam acceptet, præstare tenetur, nisi Prælati alicujus, cui subsit, venia non impetrata, nefas ei sit electionem agnoscere, huic enim tantum temporis præter supradictum mensem indulgetur, quantum satis esse credatur licentiæ à Prælato impetrandæ considerata ipsius Prælati longinquitate, *dict. ca. quam sit. ubi glo. ver. conditio. in fin & c. si religiosus* quod si electioni consenserit, eam à Prælato,

lato, cui ea dignitas vel officium, vel sacerdotium subest, confirmari curabit, quo autem tempore id fieri debeat, multoties variatum est, ut infra suo loco dicemus. *in tit. de confirmat. electi.*

Electionis autem ipsius negotium, qua Cathedralibus vel regularibus Ecclesijs Præfectus quæritur, tribus mensibus ab interregni die est absolvendum, si ea sit suprema illius ecclesiæ Præfectura: sin alia dignitas post supremam sit, in alijs autem ecclesijs quævis dignitas, semestre tempus habent. largius enim tempus in his concessum fuit, quia minus periculum in horum vacatione versatur, quàm supradictorum. *ca. ne pro defectu. de electio. ca. 2. ubi Abb. de concess. præben.* Hæc tamen tempora neque justa causa impeditis, neque dignitatis vacantis scientiam non habentibus labuntur. *c. quia diversitatem. de concess. præben.* si verò nul-

la justa causa impediti, hi quibus eligendi jus competit, hæc tempora labi permiserint, electione non facta, ad proximum Antistitem devolvetur electio cum ijsdem temporum spatijs: quibus item frustra lapsis in eum canonicè animadvertetur, *dict. c. ne pro defectu. ubi Ab. num. 6.* atque ad superiorem ejus prælatum immediatè transferetur. *Abb. dict. ca. ne pro defectu. & dict. ca. 2. nume. 6.* Sed olim in eligendo Episcopo negligentiam Summus Pontifex supplebat: *glo. dict. ca ne pro defectu. ver devolvatur.* hodiè autem supplebit quidem, si indignus quis designatus, vel forma à Concilio tradita omissa sit, secus si per negligentiam electio dilata, idque in cathedralibus duntaxat Ecclesijs: in alijs autem ecclesijs nunquam immediatè Summus Pontifex aditur, sed supradicta servanda sunt. *dict ca. quia propter. ca. quamquam. ubi glo. ver. devolvetur. in fin. in 6.* Et hæc de Electione, quæ ex

scrutinio fit, pauca etiam dicamus de illa, quæ ex compromisso celebratur; In qua non minùs hoc observatur, quod si à majori parte eorum, in quos compromissum est, celebrata fuerit, mandati forma ad unguem servata non poterit electus recusari. *ca. cum dilectus. ubi Abb.* Compromissum tamen per omnes factum esse oportet nemine discrepante, *Abb. dict. c. quia propter. §. vel saltem num. 2.* & ante electionem fieri oportet. Nam compromissum post electionem factum in præjudicium electi, laudumque ex eo sequutum electo nihil nocebit. *ca. cum inter canonicos.* Si illi, in quos compromissum est, tempora juris labi permiserint nulla electione facta, compromittentium Antistes non minùs hoc casu adiri debet, quàm si ipsismet compromittentibus ea negligentia adscribi posset. At si indignum elegerint compromissarij, ad compromittentes electionis jus redibit (nisi &

ipsi eandem electionem ratam habuissent) quod juris servabitur, & cum electus vir alioqui idoneus electioni non consentit, nam & hoc casu compromittentes alium eligere poterunt. *cap si compromissarius in 6.*

Electio ex compromisso à pluribus facta non minùs per unum proferri debet, quàm quæ ex scrutinio celebratur *c. sicut. in 6.* Si contingat electum minimè assentiri electioni de se factæ, vel post consensum jam præstitum ei renunciare, aut decedere, aut ejus electionem deleri, aliquo fortè ejus vitio, quod priùs latuerat, emergente, quoties id contigerit, tantundem electores tempus habebunt à dissensu, renunciatione, morte, vel irritatione ad aliam electionem faciendam, quantum in prima electione habuerant, nisi aliquo dolo ipsi notari possint. *c. si electio. in 6.*

Qui duabus electionibus ad idem jus optatus fuerit, utram ex eis voluerit,

fuerit, eligere eum oportebit, altera omissa, ad quam reditus posthac non dabitur. *c. at quis in 6.*

In electionibus autem monialium, quæ suo monasterio præesse debent, sive ex scrutinio, seu ex compromisso fiant, præcipua quædam jura statuit Bonifac. VIII. quæ hîc non referimus. *c. indemnitatib. in 6.*

Cæterùm, quia sæpe existunt litigiosi homines, qui vel invidia, vel odio, vel avaritia quandoque inducti potiùs quàm rei ecclesiasticæ bene gerendæ studio electiones rectè, & ritè factas omnibus (ut ita dicam) machinis disturbare conantur, propterea, ne his ad nequitiam fenestra aperiatur, certæ pœnæ statutæ sunt adversus hujusmodi calumniarum machinatores. Si quis enim per calumniam contra electionis formã opposuerit, adversario expensas, & dispendia propter litem suscepta sarcire cogetur. At si in personam fuerit

calumniatus, beneficijs ecclesiasticis si quæ in ea ecclesia possidebat, *glo. ca. 1 §. fin. ver. beneficijs in 6.* triennio carer cogetur: quibus se temere ingerens perpetuò spoliabitur citra omnem veniæ spem, nisi manifestis probationibus se à calumnia purgarit. *c. 1. §. fin. in 6.*

Multaq; alia in hanc rem prudenter provisa sunt, tam per Bonifac. VIII. & Clem. III. quàm per alios Roman. Pontifices. *c. ut circa. c. qui contra. c. procurator. in 6. & clem. constitutionem.* quæ hîc consultò missa fiunt, ne tirones multiplicitate doctrinæ oneremus. Illud non prætermittam, in causis super electionibus procedi simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura judicij. *cle. dispendiosam. de judic.*

## TITULUS VIII.

### *De postulatione Prælatorum & nominatione.*

*Exist unt*

EXistunt interdum viri, quorum optimæ artes magno usui essent ecclesijs, veluti literarum doctrina; magnus rerum usus, & morum vitæq; integritas, verùm aliquid in eis desideratur, quod impedimento est, ne ecclesijs præfici possunt: quapropter ne has causa ecclesia viris idoneis careat, compertum est, ut hoste viros collegium utilitatis gratia, ab antistitibus sibi prælatos dari petat: quæ res jure nostro postulatio vocatur. ita enim antistites hujusce rei causa aditi, egregijs eorum, qui postulantur, moribus, & disciplinis moti postulationem admittent, si eis ita videbitur. post quod (ut evitetur circuitus, & ecclesiarum dispendium) alia electione vel confirmatione postulatus non indigebit, sed omne jus consequetur, non secus ac si electus, & confirmatus fuisset. *Ab. c. 1. colum. fi. num. 34. eo tit.* Hinc apparet, nihil aliud esse postulationem, quàm concordem, &

certam supplicemque collegij petitionem antistiti factam ejus personæ, quæ aliquo defectu ad regendam, vel administrandam ecclesiam admitti non poterat, *Abb. in Rub.* quod de solenni postulatione dictum intelligimus, id est, de ea, quæ ad Prælatum ipsum rectà intenditur, qui potest omne postulati impedimentum removere, nam & alia quædam postulatio est, quæ simplex appellatur, quia nullam solennitatem desiderat, sed ei fit, cujus consensus necessarius erat, ut promoveri quis posset, vir alioqui undequaque idoneus, fortè enim ejus intererat hunc eo inconsulto non promoveri. Exempli gratia, Interest Abbatis ne ipso invito ejus monachus ad Episcopatum assumatur, Interesse potest Patris, ne ipso ignorante ejus filius Ecclesiæ præficiatur, horum igitur consensus per simplicem postulationem erit petendus, quæ si postulatio fuerit admissa, adhuc tamen

men-electione & confirmatione opus erit, *Abb. dict. c. 1. col. fin.* neque enim hæc postulatio simplex illi superiori par est judicanda, cum illam electionis & confirmationis vim secum trahere dixerimus, ut omnis ambitus evitetur.

Postulandi autem solemniter sunt, ut diximus, quibus aliquod impedimentum obstat, ne eligantur: veluti, Episcopus, ut ad alium Episcopatum transferatur Postulandus est. item, qui vel ætatis, vel ordinis, vel irregularitatis, vel criminis, vel natalium, vel quem alium similem defectum patiuntur, solenni Postulatione egere noscuntur: quæ illi fieri debet, qui impedimentum removere potest. Hinc qui ad officium vel dignitatem Episcopatu inferiorem expetitur, poterit à suo Episcopo Postulantibus concedi, hoc enim est perpetuum, ut qui confirmandi authoritatem habet, is & postulationem admittere

possit, dum major non sit defectus, quàm ut ab ipso tolli queat. quid enim si decem & octo annorum adolescens ad Archidiaconatum petatur? non potest utique Episcopus hunc defectum ætatis removere, & si alioqui Archidiaconi confirmandi potestas ad eum pertinere noscatur: erit ergo à Summo Pontifice postulandus. Episcopus autem à Summo Pontifice semper postulandus est. *Ab. c. fin.*

Certa autem & constans sit postulatio solennis. confusis enim, incertisque verbis facta repelleretur. finge collegium hac verborum farragine usum: eligimus postulando, vel postulandum, & postulamus eligendo, vel eligendum, hæc profectò verborum confusa congeries, neque electionis neq; postulationis vim ullã habet, qua ratione & illa postulatio tanquã minùs legitimè facta reijcienda est, quæ hoc modo sit facta: videlicet, Eligo, & Postulo, prout meliùs de jure:

jure videbitur, nisi justa & rationabilis fortè subesset dubitationis ratio, utrum ille postulandus esset, an eligendus. quod cum accidit, is, qui hoc modo fuerit optatus, alterutram viam eligere tenetur (à consensus tempore) vel electionis vel postulationis: qui consensus intra mensem post redditum sibi optationis instrumentum præstandus est. altera autem earum via electa ad alteram sibi aditum præcludet. *c. 1. in 6. ubi glo. vers. consensus.*

Item ut postulatio admissa prosit, omnes postulati defectus in ea expressos esse oportet, qui electionem infirmare poterant. quin & hi, qui hujusmodi postulationem defectibus aliquib. suppressis admisissent scientes, deinceps postulationes admittendi potestate privarentur. *Ab. c. fi. nu. 9.*

Postulatio autem facta & Summo Pontifici alijve Antistiti, qui admittendi jus habet, oblata, revocati deinceps non potest, quamvis antea

quam oblata esset, revocari posset. qua in re deprehenditur differentia inter electionem & postulationem: si quidem electio publicato scrutinio amplius mutari non potest. *ca. bonæ memoriæ. ubi Abb. num. 10. de elect. dixi supra.* Hoc tamen postulationi cum electione commune est, quod non minùs examinanda est, quàm electio. *c. licet. de transl. Episc.* & eandem formam exigit, quam supra in electione esse necessariam demonstravimus. *Ab. dict. c. quia propter. colum. 3. post med. de elect.*

Est & aliud quid postulationi affine, sed aliquantisper tamen ab ea diversum, quam nominationem appellant. ea enim cum postulatione convenit, quia & ipsius duæ sunt species, altera simplex, altera solennis. Simplex est, cum canonici, vel alij electuri priusquam ad scrutinium faciendum se accingant, ipsi inter se aliquos ex omnibus nominant, tanquam

quam eos potissimùm eligi dignos à cæteris sejungentes, quæ admodum sterilis est nominatio, nec ulla cum postulatione affinitate conjungitur. *Ab. c. 1. colum. fin. num. 34. & c. quod sicut. §. super eo. num. 1. de elect. & ca. bonæ memo. num. 8. de postul.* Solennis autem nominatio dicitur, cum collegium duos vel tres, qui præstantissimi omnium videantur, vel plures seligit, quorum nomina in scriptis solenniter deposita ad summum Pontificem, vel alium, qui in hoc potestatem habeat, transmittit, supplicans, ut eorum unum ecclesiæ dare præsidem vel ministrum velit. *Hostiens. in summa colum. 1. in fin. & seq.* Quæ nominatio à postulatione discrepat in hoc, quia postulatio de uno tantùm fit, nominatio de pluribus. *Hostien. ubi super.* Hoc autem cum ea convenit, quod ubi solenniter est facta, ab ea resilire non licet, sicut neque à postulatione superiori jam reddita, nisi prælatus ipse postulanti-

lantibus, vel nominantibus morem gerere velit, quo casu etiam ipso postulato, vel nominato repugnante, retractatio tamen permittetur. *c. bonæ. 2. ubi Ab.*

In causis super postulationibus proceditur simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura judicij *cle. dispendiosam. de judic.*

## TITULUS IX.

### *De confirmatione Electi, & consecratione.*

QUi ad aliquam præfecturam electus est, non tamen idcirco plenum jus dicitur consequutus, nisi electionis confirmationem à suo Antistite impetrarit. quare, si quis, antequam confirmatus esset, administrationi temere se ingesserit, non solùm confirmationis spe, sed etiam omni jure ei per electionem quæsito privatus erit. *c. qualiter. ubi Ab num. 4. de elect. c. avaritiæ. in 6.* adeò ut neque œcono-

œconomi, neque procuratoris titulus ei ulli auxilio sit, *d. avaritiæ.* neque ab re hoc inductum est, ut confirmari debeat. ita enim fiet, ut examinatione à pluribus facta, vix aliquis non idoneus promoveri possit, cum & ille, penes quem est potestas confirmandi, de electo examinationem sumat quamvis nemo contra illum opposuisset, quem si idoneum non reperierit reijciet tamquam minùs legitimè electum. *ca. cum nobis. de elect.*

Sed interdum accidit, ut, qui ad confirmationem accipiendam non admittitur, non tamen omnino repellatur: ut, si quis ante justam ætatem sit electus, quem aut necessitas, aut certè poscebat utilitas. is enim etsi confirmari non possit, poterit tamen procurator fieri cum libertam in spiritualibus, quàm in temporalibus administratione, *d. c. cum nobis. ubi gloss. & Abb.* nec parvi æstimanda est administratio hujusmodi libera,

nam

nam eas ferè utilitates affert, quas confirmatio ipsa, quippe talis procurator cathedralis ecclesiæ omnia poterit quæ jurisdictionis sunt Episcopalis, & quæ confirmatus posset, excepta bonorum immobilium alienatione; illa autem, quæ ordinis sunt, & ministerium exigunt consecrationis, poterit jubere per alios Episcopos exerceri. *c. cui. de electio. in 6.* nam hæc neque verè confirmatus exequi potest, nisi etiam consecratus sit. ex confirmatione enim ea duntaxat quæruntur, quæ jurisdictionis sunt, veluti potestas judicandi, excommunicandi, corrigendi, juramenta à vasallis accipiendi, item confirmandi, investiendi, beneficia conferendi, &, si quæ his similia sunt: non autem ea, quæ sunt ordinis, & quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt. in quibus censentur clericorum ordinatio, & depositio actualis, Chrismatis confectio, virginum benedictio, eccle-

ecclesiarum, & altarium consecratio: hæc enim & similia, quæ ordinis sunt, ex consecratione demum acquiruntur. *c. extransmissa ubi gl. fi. de elect.* Item, si quis valdè remotus putà extra Italiam concordibus votis electus sit, poterit dispensativè propter necessitates ecclesiarum, & utilitates in spiritualibus, & temporalibus administrare, sic tamen, ut de rebus ecclesiasticis nihil penitùs alienet: quæ tamen omnia procedunt, si immediatè ad Rom. Pon. pertineant. *c. nihil. §. fin. de elec.* In confirmationis autem petendæ terminis varia jura diversis temporibus servata fuerunt, nam olim, etsi electus in ea petenda segnis fuisset, non propterea jus electione quæsitum amittebat, sed tantùm poterat à Prælato, ut eam peteret, compelli. *gloss. fin. c. quam sit. de elect. in 6.* Sed postea Greg. X. constituit, ut intra menses tres post aquitam electionem peteretur: qua non peti-

petita electio irritaretur *d. c. quam sit*. Sed exinde Nocolaus 3. sanxit, ut electi ad regimen Ecclesiarum Cathedralium, vel regularium, cum à Summo Pontifice confirmandi sunt, pluribus terminis post consensum electioni præstitum ad confirmationem petendam potiantur, mense primum post consensum, vel post obtentam de electione notitiam, si eam debito tempore non contigerit factam, quo mense ad sedem apostolicam iter arripere debeant, altero deinde mense ex itineris longinquitate moderando, quo ad dictam sedem pervenire queant, & demum tertio viginti dierum spatio, quo ipsi coram eadem sede se sistant, vel impediti, quominus sistere se possint, ut eo saltem termino impedimenti causam proponant, & aliorum quindecim dierum termino probent: quæ si statuta electus non observarit, vel supradictis quidem observatis, & causa legitima impedimenti

menti proposita, & probata procuratorem idoneum & instructum non dederit, aut sublato postea impedimento ipse se non statuerit, omni jure ex electione quæsito privatur, multaque alia constituit, quæ in ejus constitutione leguntur. *c. cupientes. de elect. in 6.* Quam Nicolai Constitutionem postea Bonifac. 8. multis modis declaravit & extendit, inter cætera, statuens, ut satis non sit hujusmodi electo ad sedem apostolicam venisse, nisi usque ad finem negotium prosequatur. *c. si post quam in 6.*

Qui ergo plenum & integrum jus voluerit in Episcopatu habere, hunc oportet non confirmatum modò esse, sed etiam (ut supra diximus) consecratum: per consecrationem enim fœdus conjugij spirituale, quod est inter Episcopum & ecclesiam, intelligitur consummatum, quod electione fuerat initiatum, & confirmatione ratificatum. *c. licet, de transla. Epis.*

Hinc

Hinc etsi jam sit consecrandus, cum celebretur missa, quæ de more in his solennibus dici solet, si tamen ad consecrationem nondum est deventum, non poterit ordines conferre, nec eodem die etiam post consecrationem. Consecratio autem Episcopi inter Epistolæ recitationem, & Evangelij celebrari solet, sicut etiam cæterorum omnium præter Rom. Pontificem, qui unus ante hymnum Angelicum consecratur, & mox ipse incipit missarum solennia, & perficit consecratus. *c. quod sicut. §. super eo. de elect.* Et quidem Episcopi consecratio intra sex menses petenda est. *c. 2. ubi Ab. Bu. 22. & 35. de transl. Epis.*

Archiepiscopus verò plenam ejus dignitatis administrationem non prius consecutus dicitur, quàm pallium impetrarit: quapropter nec prius poterit concilium vocare, Chrisma facere, Basilicas dedicare, clericos ordinare, & Episcopos consecra-

re.

re. d. §. *super eo.* Episcopus autem consecratur à tribus illius provinciæ Episcopis cæteris consentientibus. Archiepiscopi jussu præcedente. Consultiùs tamen fuerit, si ipse Archiepiscopus unà cum suffraganeis suis eum sacrarit. *c. si archiepiscopus & seq. de tempo. ordinat.* Consecratio verò fit unctione capitis, & manuum Chrismate solennibus verbis additis. *c. un. §. 1. in fin. ubi glo. de Sacra. unc. & ibi. Ab.* At Archiepiscopus ab omnibus provinciæ suæ Episcopis consecratur in sede metropolitana, *d. c. si Archiepisc.*

## TITULUS X.

### *De Authoritate & usu pallij.*

QUia titulo præcedenti est traditum, Archiepiscopo tunc demum plenum jus in ea dignitate esse acquisitum, cum pallio fuerit honestatus, aliqua de hoc insigni dicenda sunt.

Est igitur pallium ornamentum Patri-

Patriarcharum, Archiepiscoporum, Metropolitarum, & quandoque etiam Episcoporum de corpore beati Petri sumptum, Episcopalis dignitatis plenitudinem conferens *Abb. in rubri.* ejusq; conferendi potestas in quatuor Principes Patriarchas, scilicet, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum soli Romano Pontifici competit, in cæteros verò supradictis quatuor inferiores Episcopos ipsi illi Principes quatuor Patriarchæ conferre possunt, *c. antiqua. de privileg.* nec cui concedi solet, nisi prius sedi Apostolicæ fidelitatis, & obedientiæ præstiterit sacramentum. *c. significasti de electio.*

Idcirco autem de Petri corpore id sumi dicitur, sive (ut quidam credunt) quia super altare Petri benedicitur, & consecratur, atque inde mox ab illo accipitur, qui eo est usurus, si præsens sit, vel si absit, ab ipsius procura-

curatore ejus nomine *gloss. pen. c. significasti* seu (ut alij senserunt) quia à Rom. Ecclesia proficiscitur. nam & illi quatuor viri Patriarchæ, dũ illud subjectis sibi Archiepiscopis conferunt, non citra Papæ authoritatem id faciunt. *Abb. c. significavi colum. pen. ad fin. in glo. penult. de electio.*

Eo verò pallio utetur primas ille, in quem fuerit collatum, in qualibet sibi creditæ Ecclesiæ provincia, *c. 1. eod. titu.* extra provinciam eo non utetur, sed nec omnibus diebus eo uti potest, sed certis duntaxat, statisq; diebus, *c. ad honorem.* neque valet consuetudo, ut etiam extra provinciam usui esse possit. *c. ex tuarum.* Rom. autem Pontifex dum sacra facit, pallio semper, & ubiq; uti potest nullo dierum vel locorum habito discrimine. *c. ad honorem.* Solet tamen idem Pontifex Rom. nonnunquam indulgere, ut Archiepiscopus necessarijs impeditus, ne possit ad ditionis suæ

Ecclesias accedere suffraganeos suos consecraturus, & clericos ordinaturus possit in aliena etiam Ecclesia, ad quam hujus negotij causa successerit, pallium suum induere, dummodo ejus Ecclesiæ Episcopus hoc permittat. *d. c. extuarum.* Non tamen prohibetur Archiepiscopus etiam sine pallio, & aureis calceis, quæ sandalia appellant, consecrationem celebrare, modò ei collata sint, nam si nondum ei pallium esset traditum, aliud esset dicendum, nec dum enim Archiepiscopi nomine appellandus esset, nec Pontificalis officij plenitudinem esset consequutus, ut etiam supra diximus. *c. nisi specialis.* Illi qui apud sedem Apostolicam pallio fuerint honestati, cauti sint, ut inde proficiscentes ejus rei testimonium secum literas ferant, nisi & proventibus omnibus privari, & ab actibus gerendis, exercendisq; arceri velint. *extrauag. injunct. in fin. de electio.* nemini autem alij,

alij quis pallium suum commodet, personæ etenim hærere debet, eaque defuncta simul sepulchro tradi, *ca. 2.* nisi ad aliam ecclesiam translatus, sit, tunc enim novo pallio erit exornandus vetere omisso. *ca. bonæ. 2. in fin. ubi gloss.* Nec prætermittendum est pallij traditionem criminis objectione non differri, nisi objiciens præmisso juramento objecta probet intra bimestris temporis spatium à collationis die. *extravagan. 1. eo. titu. in commu.*

## TITULUS XI.

### *De Translatione Episcopi.*

SCiendum est Episcopum non semper in ecclesia sibi credita perpetuò manere. nam incidunt quandoq; tempora, quibus factu optimum videtur Episcopum à prisca Ecclesia ad alteram transferri, dum ad id vel ecclesiæ necessitas urget, vel patens utilitas hortari & implere videtur. *ca. mutationes. & c. seq. 7 q. 1. & c. quanto. extra eo.*

Verùm cum hujusmodi casus contingit, caveat tamen Episcopus, ne sua sibi autoritate hoc arroget: quod si facere ausus fuerit, neq; ad hanc, cui inhiabat, ecclesiam ei concedetur accessus, neque ad veterem quam alterius spe omiserit, remigratio. *c. 5.* Quinimô nec ei proderit à Patriarcha hanc se transferendi licentiam habuisse, & Patriarcha ipse, qui sibi id juris vendicare non erubuerit, suspendetur ab Episcoporum confirmandorum potestate. *c. 1.* Unum enim Romanum Pontificem hoc jus habere transferendi Episcopi certum est. *c. 2.* quod non minùs in confirmatis duntaxat Episcopis traducendis, licet nondum consecratis locum habet, cum, licet cum his consummatum nondum sit matrimonium, contractum tamen esse, certum sit, *c. 2.* ideoq; sine Summi Pontificis venia id dividi nefas est. *d. c. 2.*

Pontificis autem maximi indultum

tum, quo hujusmodi translationi annuit, anguste est interpretandum, quare, si ad majorem priore dignitatem transitum concesserit, non auxiliabitur ad parem dignitatem migrare cupienti. *c. fin.*

## TITULUS XII.

### *De officio ordinarij.*

Videamus nunc, quæ sint Prælatorum partes, & quæ potestas, & ordinariorum imprimis, id est, eorum, (ut Hostiensis docuit) qui suo Jure, vel Principis beneficio jurisdictionem universaliter exercere possunt: cujusmodi sunt legati Apostolici, Patriarchæ, Primates, Metropolitæ, Episcopi, item quivis collegiatæ ecclesiæ præfectus, quamvis Episcopo inferior, eique subditus, nam & is jurisdictionem in plebem suam habet, ejusq; excommunicationem in subditos contortam etiam ejus Episcopus servare tenetur, nec potest eam

auferre, nisi ex communicatus satisfecit, & ipse Prælatus admonitus de relaxatione ab Episcopo sit. *c. cum ab ecclesiarum. in 1. gloss. ubi Ab. & Ab. c. 2. eo tit.* Gubernacula verò Episcopalia non nisi majoribus populis præsidere oportet, (ne dignitas vilescat,) & frequentioribus civitatibus. *ca. 1. de privileg. &c. audivimus. 3. q. 2.*

Horum igitur ordinariorum qui Episcopali gradu sunt illustrati, officium & potestas erit, in suis diœcesibus adulteria, & scelera inquirere, ulcisci & judicare, & cum opus fuerit, manum quoq; secularem sibi auxiliarem adciscent. *c. 1.*

Item hæc sunt jura Episcoporum præcipua, in Ecclesijs, & Sacellis suæ diœcesis: Canonicam obedientiam habere, ac institutionem & destitutionem cum Capituli tamen sui consilio. *c. novit. de his quæ fi. à præla.* correctionem, & reformationem, & censuram ecclesiasticam, & jurisdictionem

nem causarum omnium ad forum ecclesiasticum de jure spectantium, sacramentorum omnium, quæ ab Episcopo sunt accipienda, collationem, synodum, & synodatici, seu Cathedratici nomine certam portionem, quartam decimationum, & mortuariorum, visitandi etiam jus, & visitationis nomine procurationem moderatam, & charitatis subsidium, *c. conquerente.* multaq; alia. *c. luminoso. 18. q. 2. Ab. c. dilectus. col. 3.* quorum omnium alia diœcesanæ legis dicuntur, ut illa à quibus monasteria de jure exempta esse constat, quæ Panormitanus Abbas recensuit, *Ab. d. c. dilectus.* illa autem, quibus etiam monasteria adstricta sunt, ad jurisdictionis legem dicuntur pertinere, *c. 1. 10. q. 1.* Et sciendum est, quod quamvis hæc utraque jura tam diœcesanæ legis, quam jurisdictionis ad Episcopum spectent, inter se tamen præter supradicta etiam ita differunt, ut sententia in altero

jure lata alteri præjudicium non ferat. *d. c. dilectus. ubi Abbas.*

Cum Episcopus in tota sua diœcesi Jurisdictionem ordinariam habeat, dubium non est, quin in quolibet loco Diœcesis non exempto, possit per se aut per alium pro tribunali sedere, causas fori Ecclesiastici audire, personas ecclesiasticas, si earum merita exposcant, capi jubere, & in carcerem detrudere, cæteraq; ad ejus officium spectantia exercere, *c. cum Episcopus in 6.*

Archiepiscopus verò, etsi in omnes provinciæ suæ suffraganeos juris habeat dictionem, in suorum tamen suffraganeorum subditos potestatem non habet, quibusdam exceptis articulis. *c. pastoralis. in 1. ubi gl.* Sic & Patriarcha non potest de causis eorum cognoscere, qui Archiepiscopi sui vel Episcopi sub ditione sunt, nisi appellatione ad eum legitimè interposita,

posita, aut consuetudinis, vel privilegij alicujus jure. *c. duo simul.*

Si contingat varias linguis & ritibus nationes ejusdem tamen Christianæ doctrinæ cultores, eandem civitatem, vel diœcesin incolere, Pontifices eorum locorum viros idoneos conquirere debent, qui pro linguarum, & rituum varietate eis divina officia celebrent, & sacramenta ecclesiastica propinent instruentes eos verbo pariter, & exemplo: & præterea, si res videbitur postulare, vicarium sibi adsociabunt Pontificijs apicibus decoratum, qui earum gentium linguas, & ritus probè calleat, quo tamen facto non idcirco ea diœcesis biceps, sed unius capitis erit dicenda, *ea quoniam in plerisque.* neq; enim potest eadem ecclesia duos Episcopos habere, nisi fortè cum Episcopus aliquis substitutus est in locum alterius propter hæresis crimen remoti: nam, si Episcopus hic, qui fuerat remotus,

hæresin detestetur, & Episcopatui suo restituatur, dividetur inter utrosque Episcopatus, aliave magna ex causa. *c. 1. de paræchijs ubi Ab.*

Episcopi, qui se Pontificijs quibusdam muneribus obeundis non esse idoneos sentiunt: putà verbo Dei ad populum ferendo, Ecclesijs invisendis, reatibusq; subditorum audiendis, & pœnis condignis ob crimina inurendis, idoneos viros sibi adsciscere debent, qui has partes eorum vice strenuè obire possint: qui homines coadiutores, vel cooperatores appellantur: cujusmodi virorum copia, ut ne unquam deesse possit, pro usibus Ecclesiæ, multi his artibus, & disciplinis optimis præditi in Ecclesijs instituendi sunt. *c. inter cætera.*

Cum sedes Episcopalis vacat, ejus munerum partem subibit capitulum: nam & confirmabit electos & oblatos sibi ab Ecclesiarum patronis instituet, aliaq; faciet, quæ alibi referuntur

runtur *c. cum olim. de majo. & obed. c. 1. de instit.* Non tamen potest liberè beneficia conferre. *c. 2. ne sede vacan.* Sede autem vacante nihil novari contra eam potest: & ideo prius unita illi Ecclesia dissociari non debet, *c. 2. de instit. in 6. Abb. d. c. cum olim. c. 1. ne sede vacan.* & judicium contra Ecclesiam sede vacante carentem legitimò defensore institutum non tenet. *c. fin. de sede vacan.*

Generaliter sciendum est, neminem esse in officio quod prætendit, accipiendum, qui apost. codicillos non ostendat, nisi & qui eos receperint, & ipsi recepti pœnas canonicas experiri velint. *extravagan. injunct. de elect. in commu.*

## TITULUS XIII.

### *De Officio Legati.*

NUnc dicamus de officio Legati ejus, qui cum jurisdictione est: nam cum multa sæpe accidant, quæ

ita ardua sunt, ut per locorum ordinarios absolvi non possint, sed supremi Pontificis authoritatem desiderent. Ipse autem Roma. Pont. omnibus ubiq; præsto esse non possit suam authoritatem impertiturus, necessarium fuit, ut aliquis in provincias latissima cum potestate mitteretur, qui Romani Pontificis gerens vicem ea administraret, quæ alioqui sedis Apostolicæ potestate eguissent: eo igitur factum est, ut legati à sede Apostolica in provincias mittantur, quos si qui non admiserint, aut impedierint, ipso facto in sententiam excommunicationis incidunt, eorumq; terræ Ecclesiastico subijcinntur interdicto nulla consuetudine attenta. *extravag. 1. de consu: in commu.*

Atq; hi cum triplicis generis sint: nam aut Cardinalium è collegio sunt, qui & propterea de latere Pontificis legati dicuntur, qui nec frequenter curiam exeunt, nisi cum tali potesta-

te legationis: *c. decreto. c. si quis Episcopus. 2. q. 6. ænc. Falco. de refer. 2. part. 5. prælu.* aut Cardinalibus inferiores, qui legati constituti dicuntur, quibus ipsorummet ratione, & meritis id munus concessum est: *Spec. titu. de legat. ver. superest num. 3.* aut qui hoc legationis officium dignitati suæ annexum habent, unde & legati nati appellantur, quod una cum dignitate (putà Archiepiscopatus) quam habent, id officium nascatur, & ejus speciei esse dicuntur Archiepiscopus Cantuariensis, Eboracensis, Remensis, Pisanus: *Gig. tract. de Pensio. q. 6. colum. 4. in fin.* omnes tamen hi (cujuscunque generis sint) ordinariam habent jurisdictionem & Legati Cardinales ferè proconsulibus comparari possunt: & qui Cardinalibus sunt inferiores cæteris præsidibus, quibus certæ sunt decretæ provinciæ regendæ. quare nec cum Pontificis Roma-

ni vita: à quo Legati sint, eorum Jurisdictio expirabit. *ca. 2. in 6.*

Horum autem officium est, causas audire eorum, qui in provincijs suis ad se accedunt, & de querelis ad se delatis cognoscere. *c. 1. ubi Imol. col. 1. in fin.* Item Concilium provinciæ vocare, *Ab. c. quod ad translationem. num. 7.* Beneficia autem vacantia jure legationis conferre Legato Cardinali tantùm potestas permissa est: alijs autem legatis non nisi nominatim eis concedatur. *c. 1. in 6. ubi glo. fin.* Sed si beneficium in alicujus patronatu sit, qui clericus non sit, tunc neq; Legatus à latere illud conferre potest, quamvis tunc possit cum sub patronatu clerici est ratione Ecclesiæ quã ipse habet. *ca. dilectus filius ubi Ab & gl.*

Possunt etiam Legati cujuscunq; generis sint facere statuta in provincia sibi commissa, post depositum quoq; officium vim nihilominus habitura. *c. fin. ubi Ab. 1. no.*

Et

Et nemo dubitat posse etiam eos delegare: quorum tamen delegatorum jurisdictio, una cum Legati officio, nisi citatione præmissa perpetuata sit, extinguetur. *d. c. fin. ubi glo. & Ab.* Indubitati quoque juris est, posse Legatum à latere suæ provinciæ beneficia suæ collationi reservare. Quæ tamen reservationes suæ Legationis authoritate factæ post Legationis officium obitum, nullius erunt momenti, & processus super eis agitati nihil virium tunc habebunt: cujusmodi sunt (exempli gratia) decreta super hisce reservationibus interposita, nec non denunciationes, & inhibitiones per eum, vel per executores ab eo datos factæ, dummodo ab ipsorum beneficiorum collatione nondum ventum sit. Et hæ quidem reservationes stricte procedunt: quare nec eadem Ecclesia, nec eadem unius jurisdictione duas eodem tempore reserva-

servationes Legatus vel habere vel facere potest. *c. præsenti in 6. ubi glo.*

Item potest Legatus Cardinalis quoscunque etiam propter manuum in clericos injectionem excommunicatos absoluere tam in provincia ei decreta, quàm extra, tam subditos, quàm extraneos, & aliunde profectos, dum ipse legatus exrtra urbem Romanam agit. Nec minùs hoc ei licebit, quamvis injuria gravis fuisset, ut crebris interpretum sententijs est receptum. Quæ potestas non ita laxata est alijs Legatis, qui ex Pontificis latere non sunt profecti. nam illi quidem, quibus non dignitatis, quam habent, connexitate, sed sua ipsorum contemplatione Legatis esse datum est, provinciæ suæ homines sibi subditos dum in ea morantur, absolvendi jus habent, etsi crimen alibi contraxissent. Sed & non subditos, si in sua provincia excommunicationis in pœnam inciderint, non minùs absoluent:

soluent: eos verò, qui neque in sua provincia deliquerunt, nec in ea morantur, nec aliqua ratione sibi subjecti sunt, dubium non est, quin absolvere non possint. Quin etiam nec proprios subditos absoluunt, dum extra provinciam agunt, ut Guilelmus Durandus, Johannes Andreæ, & Panormit. Abbas adversus Vincentium tradiderunt: quod procedit, & (ut idem Panormitanus cum aliis censuit) si judicis illius in cujus Diœcesi morantur excommunicati, consensus accessisset. Legati verò, qui legationis officium dignitati suæ, Archiepiscopatus fortè, annexum habent, ideoque legati nati appellantur, nullo casu hujusmodi excommunicationes expiandi authoritatem habent, quamvis sibi suppositi essent, jurisdictionisq; suæ oras incolerent, ibique delictum excommunicatione dignum patrassent. nam, cum horum legatio perpetua sit, sicut & dignitas, cui

cui inhæret, si eis excommunicatos hujusmodi absolvendi jus esset, leve esset medius fidius privilegium clericis eorum locorum à jure communi concessum, quando tam prompta & facilis esset perpetuò delinquentis indulgentia demptio ei Romani itineris labore. *Habens supradicta omnia ex c. excommunicatis. cum doc. Ab.*

Illud tamen certum est, legatum, qui plurium locorum jurisdictionem habet, posse in omnibus locis officium suum exercere, & loci unius negotia moram alibi trahentem explicare. *c. novit ille.*

Legati Cardinales illis quoq; jus dicere possunt, qui ordinariorum jurisdictioni proprijs privilegijs subtracti sunt, quos exemptos vocant. *c. 1. de verbo. sig. in 6. Abb. ca. quod ad translationem. nume. 10.* Et cum legati Cardinales in sibi decreta provincia existunt, minoris legati officium ibi interea cessat, quamvis dignitati cohæreat

hæreat. *ca. volentes. ubi Ab.* Qui verò legatum quemvis apostolicum exequi munus suum prohibuerit, eousq; excommunicationi illigatus manebit, donec integre satisfecerit. *c. 1. §. fi. 94. dist.*

Sed neque causæ alij à summo Pont. delegatæ specialiter legatus se ingerere potest, nisi ut sententiam justè latam confirmet, & executioni demandet: *ca. 2.* neq; ex generali legatione quamvis à latere Summi Pontificis sit, Episcopos transferre, vel ecclesiam cathedralem alteri item Cathedrali subijcere, nec duos Episcopatus unire, aut unum in duos partiri potest. *c. nisi specialis. cum sequen.* nec Cathedrales, vel regulares, aut alias collegiatas ecclesias, aut ullas cathedralium ecclesiarum dignitates, quæ primæ post Episcopatum in ipsis ecclesijs sint, & ex electione conferri soleant, vel conferre, vel reservare, potest. *ca. deliberatione. in prin. in 6.* Nec

potest

potest legatus alicui, vel generaliter, vel nominatim concedere, vt possit beneficia intra suam legationem sita in suis manibus canonicè resignata, cui voluerit, conferre. *dict. ca. dil. legatione. in fin.* Nec valet collatio beneficij per eum facta illi, qui aliud beneficium habebat, de quo nullam mentionem fecit: *cap. fin. in 6.* quod in quibuslibet alijs habentibus conferendi potestatem contra est. *cle. fin. de offic. ordin.*

Cum verò legatus causæ susceptam examinationem ad sedem apostolicam detulerit, amplius de eadem examinationem sumere prohibetur. *ca. licet traben.*

## TITULUS XIV.

### *De officio judicis delegati.*

SOlent nonnunquam Summi Pontifices, eorumve delegati, aut alij ordinarij etiam Summo Pontifice inferiores, cum causas ad se spectantes,

tes, vel delatas ipsi vel cognoscere, vel dirimere nolunt, aut non possunt, alteri vices suas mandare, qui ad judicium vocet, causam cognoscat, decidat, exequatur, aut unum, vel plura ex his faciat.

Non omnibus tamen facta hujusmodi mandata valebunt: nam, præterquam quod peritum eum esse oportet, cui delegatur, ætatisque legitimæ, id est majorem viginti annis, cui non à Principe facta sit delegatio: *c. cum vigesimum, de offic. delega.* exigitur præterea, ut aliqua in dignitate, sit vel personatu, aut saltem alicujus ecclesiæ cathedralis canonicus is, qui à Summo Pontifice, vel ejus legatis delegatur. *c. statutum. in pri. versi. sanctimus. de rescri. in 6.* Principalis etiam officialis Episcopi, & religiosus conventualem obtinens prioratum, quamvis ad eum prioratum, non consueverit per electionem assumi, à sede apostolica, vel ejus legato delegari possunt:

possunt: officialis autem foraneus, aut religiosus monasterij sui Prior Claustralis delegari non possunt. *cle. 2. de rescri.*

Episcopus autem, etiam simplici clerico delegare potest. *gloss d. c. statutum. ver. sedis apostolicæ.* Et delegatio facta dignitati etiam ad successorem ejus, cui primùm facta fuerit, transit. *ca. quoniam. de offic. deleg.*

Sciendum est, quod quamvis actor judicem habere recusans in rei conventi civitate, vel diœcesi, possit in alia civitate, vel diœcesi judicem impetrare, ubi actor & reus diversarum provinciarum sunt, non tamen ultra unius dieti iter eum trahere extra ipsius diœcesin debet: *ca. statutum. §. cum autem de rescript. in 6.* quamvis olim usque ad duorum dierum iter trahere eum posset. *ca. non nulli. in prin. de rescrip.*

Non tantùm unus ad eandem causam dari judex potest, sed & plures:

res: at in pluribus judicibus dandis duæ formæ diversæ in usu esse solent: namque ita quandoq; dantur, ut (gratia exempli) si tribus causa committatur, si omnes interesse nequiverint, duo nihilominus procedant: quod cum fit, necesse est omnes simul procedere, si nullum subsit impedimentum, quo aliqui eorum avocentur: sed si unus vel aliqui eorum sint impediti, vel nolint interesse, oportet in primis horum impedimentum, aliis, qui expliciti sunt, notum esse, vel de eorum voluntate constare, ut illi procedere possint, neque enim valerent acta per eos hoc non observato. *c. prudentiam in pri* Pontificis autem rescriptum eum casum duntaxat exprimens, quo non possit delegatus interesse: ad eum quoque casum extenditur, quo non facultas, sed voluntas se immiscendi delegato abesset, *d. c. prudentiam §. adijcimus.* & non solùm de impotentia facti, sed etiam juris

juris intelligitur: ut si aliquem illorum servum, vel infamem aut alio legitimo impedimento detentum esse constiterit. *c. sciscitatus. de rescri.* Alia est forma brevior, quæ & frequentior in usu est, cum scilicet plures ita delegantur, ut omnes, aut duo vel unus procedat, hîc enim omittitur illa conditio, Si Unus Non Posit &c. sed facultas simpliciter conceditur cuivis ex delegatis procedendi, quorum si quis alios prævenerit incipiens de negotio cognoscere, alijs dempta erit potestas interea de eodem se impediendi, nisi is, qui prævenit, aliqua justa causa postmodum impeditus fuerit causam finire, vel nisi dolosè procedere detrectaret, his enim casibus alijs fieret locus. *c. cum plures in 6.* sed si is, qui alios prævenit, Jurisdictionem suam ita stabilierit, ut delegantis morte expirare non possit, putà, quia partes jam ad judicium vocasset, hoc alijs quoq; collegis utile erit;

erit: nam etsi hunc mori contingat, poterunt nihilominus alij etiam mandatore mortuo hoc muneris suscipere, quasi à collega sibi traditum & perpetuatum, quamvis ipsi, dum mandator in humanis esset, nihil omnino in hoc judicio egissent. *c. cum plures in 6.*

Si verò delegatio facta sit pluribus simpliciter, neutra ex relatis modò clausulis inserta. Unusq; delegatorum sententiam ferat, nullius momenti erit ab eo prolata sententia. *c. causam matrimonij.* Quod non minùs locum habebit, etsi delegatorum unus ab humanis rebus sublatus esset. uno enim mortuo omnium officium extinguitur, nisi aliud mandati forma contineat. *c. uno delegatorum.*

Delegatus judex hoc diligenter observare debet, ne fines mandati egrediatur. *c. venerabi. c. fin. extra eo. c. cum dilecta. de rescript.* Sin nulla man-

datoris forma alia appareat, formam juris servabit. *c. ex parte tua.*

Si delegatus à Summo Pontifice in alium hoc onus transferre velit, isq; munere injuncta fungi detrectet, poterit eum ad suscipiendum compellere, nisi ipse malitiosè exonerare se studeat. *c. pastoral. in prin.* Verùm in eo compellendo gradus, & dignitatis rationem habebit: alio enim modo aget cum viro sublimi in loco posito, quàm cum cæteris, qui etsi dignitatem habeant, non tamen magnopere alios excellunt. Nam exempli gratia, si Episcopo delegare quis velit, non debebit eum confestim his modis cogere, quibus alium inferiorem posset, sed modestiæ cum eo utetur supremi ordinis rationem habens: quare illi primò Ecclesiæ ingressum interdicet, vel sacerdotalis officij executionem; post etiam ab officio suspendet; & demum si pertinaci animo perseverarit, excommunicatio-

cationem quoq; irrogabit. quod si jam ab initio admodum contumacem se ostenderit, jam tum licebit contra eum ecclesiastica censura uti *c. 2. in 6. & d. c. pastoralis, in fi. prin. & c. sane quia.*

Hinc apparet, quanta sit judicis delegati potestas in causa ei mandata per summum Pontificem; cum etiam illis imperandi jus habeat, qui extra causam ipso essent superiores. quare & Episcopos, aliosq; sibi minimè subjectos, quorum causa sibi mandata sit, poterit vel interdicti, vel suspensionis aliave censura compellere. *dict. ca. sanè quia.* Ejusq; potest etiam contra extraneos officium ejus impedire enitentes exerceri, *c. l.* quod & ipsius delegato permissum est, *c. ex literis.* Hinc consequens est, ut possit delegatus (ubi nulla à jure poena statuta est) arbitrio suo pro delicti, & causæ qualitate pœnam statuere in eos, qui in causis delegatis judi-

dicio suo parere contempserint. *c. de causis. in fin.*

Potest delegatus mandatum suum, quo totam causam alij delegaverat, arbitrio suo revocare, dum res adhuc integra sit, id est, si ille jurisdictione usus hactenus non sit. *c. quamvis. in 6.* Sed etsi hunc subdelegatum mori contingat, causa ad subdelegantem revertetur. *d. c. quamvis.*

Si delegatus (quoties eum abesse contigerit) alicui vices suas commiserit, poterit subdelegatus eo rebus humanis exempto (cum & tunc censeatur abesse) commissum sibi negotium liberè diffinire, modò illo vivente jurisdictione uti ceperit: quod non minùs licebit, si vices sub ea forma commiserit, donec duxerit revocandas. *c. si delegatus. in 6.* Et delegatorum à Summo Pontifice potestas in sententiæ executione usq; ad annum vigebit. *c. quærenti.*

Possunt etiam, si eis videatur, id onus

onus sententiæ executioni mittendæ in ordinarium transferre. *c. pastoralis. §. quia verò sæpe.*

Cum verò judicis delegati sententia executionem fuerit sortita, ejus finietur jurisdictio. *c. in literis.*

Sed & alijs modis jurisdictio delegata finitur, veluti, si lapsa sit dies, ad quam causa ex mandati forma terminari debuerat, nisi à partibus prorogata sit. *c. de causis. in princip.* alijs quoq; modis finitur, qui ex voluminibus Decretalium Epistolarum peti possunt. Hoc neminem præterire volumus, nemini facilè fidem esse adhibendam, et si asserat se delegatum esse, nisi hoc ipse probet; quapropter si quis tanquam à sede Apostolica delegatus mihi injungat, ut palàm fieri curem, aliquem esse excommunicatum, potero ego hoc mandatum effugere, nisi ille de mandato Apostolico fidem faciat. *c. cum in jure peritus.*

## TITULUS XV.

### *De officio Conservatorum.*

JUxta Delegatorum tractatum, non erit ab re etiam de conservatoribus aliqua dicere, quibus à Summo Pontifice mandatur, ut aliquos à manifestis injurijs defendant. Et hi quidem ad ea, quæ judicij indaginem desiderant, suam potestatem non extendunt. *cap. 1. de offic. deleg. in 6.*

Conservator verò dari non potest, nisi qui dignitatem, aut personatum habeat in ecclesia Cathedrali, vel collegiata: putà, Episcopus, Abbas, Archipresbyter, & similes, sed nec defuerunt, qui etiam officialem Episcopi principalem posse conservatorem fieri crediderint, quamvis declarationem Summi Pont. (ut res certior fiat) exoptarent. *glo. cle. 2. ver. delegatus. de rescrip. ubi docto.* Nec sufficit Ecclesiæ cathedralis quem simplicem canonicum esse, ut conservator fieri possit

posit, quamvis Ecclesiæ cathedralis canonicus ad causas delegari posit. Nec potest quis conservator sui conservatoris fieri, vel ejus cujus ipse jurisdictioni ordinariæ subditus est, nisi fortè Regis, aut Reginæ, etsi mandatum ad causas, (de quo titulo præcedenti tractavimus) etiam subdito ejus, de cujus causa agitur, fieri posit.

Nec permittitur conservatori extra civitatem, aut diœcesim, in qua fuerit deputatus, contra aliquem procedere; aut aliquem extra locum itinere unius diei remotiorem protrahere: quod tamen delegato partium consensu habenti non denegetur. Prohibetur etiam conservator alijs vices suas committere (exceptis citationibus, & sententiarum denunciationibus) nisi hoc ei specialiter sit concessum: quo tamen casu nec alibi hoc poterit facere, quàm in civitatibus suæ diœcesis, in quibus hoc conservatoris fungatur officio, nec nisi per-

sonis, quas supra conservatoris munere fungi posse diximus.

Verùm si conservatores alijs quàm manifestis injurijs se immiscere non dubitarint, & ad ea, quæ judicij indaginem requirunt, manum extendere, eo ipso per annum ab officio sunt suspensi: pars verò, quæ hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrit; à qua absolvi non potest, nisi ei, quem sic fatigavit indebitè, prius de expensis integre satisfecerit, officium autem quorumcunq; conservatorum ipso jure quoad non cœpta negotia per obitum concedentis expirat. *habentur hæc omnia ex c. 1. fin. de offic. deleg. in 6.*

## TITULUS XVI.

### *De officio Archidiaconi.*

ARchidiaconus à jure vicarius Episcopi est constitutus, clericiique universi curam habet, tam in urbe quàm in parochijs; præest Archipres-

chipresbytero, Primicerio, Custodi, Sacristæ; imperat subdiaconis & levitis; Parochiarum sollicitudo, & ordinatio ad ipsum pertinet; jurgia singulorum cognoscit; omniumque primus & eximius est post Episcopum, & Episcopi oculus appellatur, quod vice Episcopi omnia per Diœcesim scrutans, corrigat, quæ correctione egere noscuntur, nisi negotia valdè ardua sint, quæ majorem authoritatem desiderent; satagitq; de conversatione, & existimatione clericorum certior fieri, instaurandis Ecclesijs præest. Tertio quoq; anno universam Parochiam, id est, Diœcesim absente Episcopo collustrat, ea corrigens, quibus correctione sit opus, *c. 1. eod. tit.* parochiam verò propriam singulis annis visitat. *c. mandamus.* Examinatio clericorum, qui sunt ad sacros ordines promovendi, ejus officij est; & examinatio eorum, qui sunt Eccle-

sijs præficiendi, quos etiam ipse coram episcopo sistere debet. *c. ad hæc.*

Ipsius item hæ sunt partes, Evangelium in missæ sacrificio pronunciare, alijve ex diaconis pronunciandum injungere, & cum Episcopus missam est solennem celebraturus, ipse leviras de eorum officio instruit, & jubet vestes sacras induere, & omne deniq; officium ecclesiasticum ipse disponit, Lectiones aut responsoria in matrice Ecclesia præscribit, vel audit, ita, ut nemo Evangelium, sacramve Epistolam, aut responsoria, aut aliam quamlibet lectionem in Ecclesia legere aut canere possit, nisi prius ab Archidiacono exauditus. Acoluthis quoq; ipse officia dividit, præcipiendo quis eorum candelabra, quis thuribulum gestare, & quod quisq; minorum in Ecclesia munus obire debeat. *c. 2.* Idem vasa usibus Ecclesiæ dicata custodit. *c. 3.* Pecuniam Ecclesiæ à pijs hominibus eleemosy-

mosynæ causa datam accipit, & Episcopo reddit, Diaconorum delicta Episcopo aperit. Sacerdoti jejuniorum & solennitatum dies ipse notos facit. Archidiacono verò absente hæc omnia munera proximus illi Diaconus subit, *ca. perlectis. §. hi sunt ordines. 25 distin.* Prælatos idem Archidiaconus in sede locat, *c. ut nostrum.* nam missio in possessionem corporalem beneficiorum, & dignitatum ejus officij est. *c. ad hæc.*

Non tamen, aut animarum curam citra Episcopi mandatum committere potest, *c. cum satis.* aut in aliquos sententiam promulgare. *c. Archidiaconis. ubi glo. & doct.* aut aliquem extero Episcopo ordinibus suscipiendis commendare. *c. significasti.* aut in monasterijs jurisdictionem habere, nisi consuetudine præscripserit. *ca. fin.* Et hunc diaconum esse oportet. *ca. 1. de ætat. & qualita.*

## TITULUS XVII.

### *De officio Archipresbyteri.*

ARchipresbyter cæteris Presbyteris eminet, ac præest; collectam indicit, vel is, cui ipse injunxerit; horisq; suis in Ecclesia residere tenetur: Episcopo absente vice ejus officium inchoat.

Ipso verò Episcopo solennem missam celebrante sacerdotes monet, ut vestes sacras induant; idem Ecclesiæ Custodem monet, ut det operam, ne in Sacrario sancta Eucharistia unquam desit, quæ ægris propinari valeat. Ægrotantium quoque, & eorum ex diœcesi, qui ad civitatem veniunt, hanc curam gerit, ut præsto sint eis petentibus sacerdotes, quibus possint crimina fateri, ne sine sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ animam exhalent. omnia deniq; ejus officij provisionem expectant, quæ sacerdotum ministerio perficiun-

ciuntur, his tamen exceptis, quæ prohibita nominatim sunt: quare ad eum spectabit fontium benedictio, infirmorum sacro oleo perunctio, Pœnitentis ægri consulto prius Episcopo reconciliatio. idem cæteris sacerdotibus pœnitentiam injunget, horas dicendis officijs partietur, sacrisque diebus, & præsertim Deo dicatis, aut ipse missam solennem dicet, aut alij hoc munus delegabit. item Christianis efficiendis, infantibus baptizandis, & ad succurrendum nihil à sacerdotibus sine Archipresbyteri fiet præcepto.

Archipresbyteri verò officium illius, qui municipia aut rura colat, & regat (qui & Decanus dicitur) est curam habere laicorum, & presbyterorum, qui ecclesias minores Archipresbyteratui subjectas, administrant: graviaq; delicta, si quæ inciderint, Episcopo significare, nihil tamen audeat sibi arrogare contra-

ea, quæ ab Episcopo fuerint decreta. Est tamen sciendum quod tam is Archipresbyter, quàm urbanus parent Archidiacono *c. 1. & toto tit.* Et utrunq; Presbyterum esse oportet *c. 1. de ætat. & qualit.*

## TITULUS XVIII.

### *De officio primicerij seu cantoris.*

PRimicerius, qui & alio vocabulo à quibusdam appellatur, Cantor seu Præcentor, Archidiacono subest, quemadmodum etiam Archipresbyter: curamq; hanc præcipuam gerit, ut Diaconis docendis, reliquisq; gradibus, & ordinibus ecclesiasticis incumbat: & juxta consuetudinem Diaconis præscribat electiones, quæ ad nocturna officia clericorum pertinent. *c. unico. eod. tit.* Ejusdem est præfigere, qua hora signum campanæ pelvis tinnitu officijs celebrandis dari debeat, & in eis per clericos munia dividere. Item ordinem & modum canen-

canendi in choro præfigere, pro solennitate, & tempore. &, si quæ re basilicis sarciendis opus esse viderit, sacerdotem monere. Ipse Epistolas Episcopi pro diebus jejuniorum sacerdotibus parochis per ostiarios reddi curabit: clericos, quorum errores cognoverit, idem coercebit. quos verò ipse coercere valebit, eorum commissa Episcopo referet. Basilicarum ipse ponet custodes, & tabulam (quam matriculam vocant) ipse disponet. eo autem absente curabit, qui illi lege, vel eruditione proximus fuerit. *ca. perlectis §. ad primicerium. 25. distinct.*

## TITULUS XIX.

### *De officio Sacristæ, & Custodis.*

SAcrista, seu (quod idem est) Thesaurarius, sacra vasa, ecclesiasticas vestes, & totum ecclesiasticum thesaurum, quæque ad luminaria, seu cerea, seu oleo madentia, pertinent, custodire tenetur. *d. c. perlectis. §. ad thesau-*

*thesaurarium. ca. 1. extra eod.* ipse ostiariũ Basilicarum constituit: thus incendendum præparat, curam chrismatis susscipit conficiendi, & baptisterij instruendi, & luminarium in sacrario, & sacrificijs præparandorum. *d. c. ad primicerium.* subest autem (ut supra diximus) Archidiacono. Custos verò ecclesiæ is dicitur, cui ea, quæ ecclesiæ competunt, custodienda traduntur. &, cum multa ad eum spectent, quæ ex sacristæ officio juxta diversam consuetudinem videntur esse, inferior tamen custos est Sacrista. Et hæc propria ipsius sunt munera, ut horarum canonicarum signa det tintinabulorum pulsatione Archidiacono jubente, cui cum subsit, in omnibus parere tenetur. Pallia, vel lintea altaris, omniaque Ecclesiæ utensilia perpetua custodia servare debet; accendendis vel extinguendis lampadibus vigilem se præbere, ne aut supra modum ardentes nimium olei absumant, aut minus illucentes obscu-

obscuriorem Ecclesiam relinquant. Diligenter etiam curet, ne thuris unquam sit inopia; atq; ut panis & vini ad missæ sactificium omni tempore copia suppetat, omnesq; oblationes & eleemosynas, seu decimas Archidiacono consentiente (dum Episcopus abest) fratribus dividat.

At si his exequendis custos minùs vigilem se præstiterit, erit ab Archidiacono objurgandus, ut se ultro ipse corrigere velit, sin nihil Archidiaconi castigatio profuerit, Episcopus ab Archidiacono monitus, alio in locũ ejus substituto eum exturbabit.

Hi ergo tres, de quibus proximè diximus, triumviri sunt, quibus tanquam tribus validissimis columnis fulcitur Ecclesia, ipsiusq; nititur salus, scilicet Archidiaconus, Archipresbyter, & Custos: Quare nemo nisi optimus, idemque vigilantissimus ad hæc officia est admittendus, ne qua negligentia, aut socordia in

Dei

Dei Ecclesia notari possit. *Tot. tit. extra eod.*

## TITULUS XX.

### *De officio utriusq; Vicarij.*

CUm frequenter eveniat clericos necessarijs causis impeditos non posse officijs suis, tam in divinis celebrandis ministerijs, quàm in jure dicendo superesse: Idcirco permittunt leges, ut cum id evenit, liceat eis aliorum opera uti, & sibi legere viros idoneos, quibus tutò possint vices suas mandare, quos propterea vicarios appellant.

Hi verò (ut diximus) vel ad divina ministeria celebranda constituuntur, vel ad Jurisdictionem exercendam. *glo. in Rubr. eod. titu.* nam etsi parocham ecclesiam habentes non per vicarium, sed per se ipsos illi deservire teneantur in ordine, quem ipsius Ecclesiæ qualitas requirit: tamen quia fieri potest, ut paro-

Ecclc-

Ecclesia, quam habent, dignitati, vel præbendæ Ecclesiæ majoris sit annexa: id ubi accidit, licebit ei, qui talem habuerit præbendam, vel dignitatem (cum eximiam eam habere debeat, & oporteat in primis majori Ecclesiæ deservire) vicarium perpetuum in parochia Ecclesia substituere, qui ex illius Ecclesiæ reditibus congruam portionem hoc nomine percipiet. *c. extirpandæ. §. quia verò. de præben.* Sive igitur hac causa, seu alia quis excusetur, quominus teneatur ipse beneficio deservire, hujus officium vicarius supplebit, Episcopi tamen consensus exigitur in hoc vicario constituendo: quo adhibito, neq; per ipsum Rectorem dominum, neq; per successorem ejus poterit amoveri, portioneve sua defraudari, nisi aliqua culpa id meritus fuerit.

Idem pluribus Ecclesijs vicarius perpetuus eodem tempore esse non potest. *ca. 2. extra eod.*. Et qui dum alicu-

alicujus esset vicarius perpetuus in divinis, beneficium curatum postea est adeptus, amplius Vicarius esse non permittetur. *ca. penult. extra.* Atq; ut Vicarij perpetui in Ecclesijs, quarum Vicarij sunt, resideant, & se in presbyteros (ut eorum cura exigit) faciant promoveri, per subtractionem proventuum, aut vicariatuum compelluntur. *ca. clericos. extra eod.*

Sed & Clem. V. constituit, utin hujusmodi Vicariatibus perpetuis ea observentur, quæ de Ecclesijs curam animarum habentibus, agnitione aliarum amittendis, ac de ipsarum Rectoribus promovendis ad Sacerdotium, deq; eorum ætate à jure statuta esse noscuntur. *clem. uni. eod. titu.* Clerici in presbyteratu, vel in alijs inferioribus ordinibus constituti, in vicariatibus Ecclesiarum, quos adepti sunt, alios sibi substituere non possunt. *c. clericos. extra.*

Et hæc de his vicarijs qui in divinis

vinis ſubſtituuntur. Pauca etiam dicamus de his qui ſubrogantur in juriſdictione, qui etiam quandoque officiales, quandoque miſſi dominici appellantur. *glo. clem. 2. ver. officiales. de reſcript.* & quorum creditur ordinarium eſſe officium. *glo. c. 2. eod. hoc hoc titu. in 6.* Vicarius autem Summi Pontificis quem in urbe relinquit, ſciat juriſdictionem ſuam extra urbem non protendi. *c. penult. extra eod.* Quamvis in officialem Epiſcopi per officium generaliter ipſi traditum cauſarum cognitio transferatur, poteſtatem tamen inquirendi, corrigendi, aut delicta ulciſcendi, ſeu aliquos à ſuis beneficijs vel adminiſtrationibus amovendi, transferri nemo dixerit, niſi nominatim hæc quoque tradita ſint, *c. 2. in 6.* neq; beneficia conferendi, *ca. fin. in 6.* nec literas commendatitias ad ordines ſuſcipiendos concedendi. *c. cum nullus. §. 1. de temp. ordin.* Et poſtremò ſciendum

hujuſ-

hujusmodi Vicariam curam laico credi non posse. *c. in nova. 16. quæst. 7.*

## TITULUS XXI.

### *De visitatione per Prælatos facienda.*

QUi ad Præfecturas, & populorum, vel Ecclesiarum regimina vocati sunt, excubare oportet, assiduèq; explorare, quænam vitia animarum sibi creditarum saluti officere videantur, quæve res profuturæ sint, & illa pro viribus evellere conari, hæc impigre præstare, & sollicitè ministrare: Atq; ut morbi confestim habita notitia promptiùs, & tutiùs ei manus medica adhiberi possit, propterea debent Episcopi quolibet anno semel diœceses suas invisere, sin valetudine impediantur, quominus ipsi hoc officium exequi possint, poterunt illud alij demandare. *c. decrevimus. c epis opum 10 q.1.* Hæ verò erunt Prælati partes, cum ecclesias suas invisit,

visit, nempe, ut proposito verbo Dei quærat de vita & conversatione ministrantium in Ecclesijs, & alijs locis divino cultui addictis: & cum de aliquibus lævam famam esse ortam viderit, ipsorum ordinarijs id notum faciet, si judicarit expedire; ut super his solenniter inquirant: notoria verò crimina, quæ examinatione non egent, ulciscì poterunt. *c. i. §. sanè. de censi. in 6.* Providebitque, ut, si qua fortè basilica destituta fuerit, restituatur. *d. c. decrevimus.*

Visitandi autem potestatem habent Cardinales, legati, vel nuncij Apostolici, *c. procurationes de censi. c. mandamus. ubi Ab. de offic. ordin.* Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, Decani. hi tamen duo postremi non suo, sed Episcopi nomine visitant, nisi fortè longa consuetudine, præscripserint jus suam parochiam visitandi, & denique, ubi quisque; Prælatus jurisdictionem habens, & visitandi

tandi jus habet, *Ab. c. cum Apostolus. 3. nor. de censib.* quod nulla præscriptione amittet. *c. cum ex officij. de præscrip.*

Archiepiscopus universam suam provinciam arbitratu suo visitare potest, quamvis non sint ejus suffraganei negligentes, nec non visitationem iterare adhibito suffraganeorum consensu, & forma quadam servata, & procurationes, id est, expensas à locis excusis accipere potest, dumque ita visitat, potest crimina ab his audire, qui suffraganeis suis subditi sunt, eosq; soluere. *c. fin. & c. 1. § ex quo. & § seq. de censi. in 6.* Visitabit tamen in primis Ecclesiæ suæ capitulum, mox totam civitatem cum diœcesi, majores Ecclesias, & minores pariter executiendo, item clericos & populum: sin commodus ei ad singulas Ecclesias, tutusque accessus non fuerit, ad aliquem locum commodum omnes clericos & laicos evocabit, post omnes provinciæ suæ partes peragra-

bit.

bit suffraganeos suos, eorumque subditos, Ecclesiarum capitula, Ecclesiasque omnes, monasteria, aliaq; religiosa & pia loca, cleros, & populos pariter lustrando & examinando: quod Inno. III. quemadmodum & multa alia in hoc propositum summa ratione constituit. *c. 1. de censi. in 6.*

Sunt tamen & quidem visitatores generales, quos generale capitulum constituit, qui superiorum visitatorum vestigia diligenter inquirere tenentur, eorumq; crimina, & culpas futuro generali Concilio referre. *fi. de statu monach.*

Laicis verò magistratibus, etsi provincias peragrare congruat, id tamen in usu non est. *l. congruit. ff. de offi. præsi. Crau. consi. 238. col. 8. in fi.*

## TITULUS XXII.

### *De Procurationibus.*

SEd ne Prælatis hoc visitationis officium dispendio sit, si suis sum-

ptibus peregrinentur, congruæ expensæ eis subministrandæ sunt ab Ecclesijs, ad quas visendas accesserint, quas expensas procurationes appellant: à quarum solutione nulla præscriptio excusat, etsi ab illis excusare possit, quæ vel institutionis, vel consuetudinis jure penduntur. *ca. accedentes, ubi gl. fin. & c. cum ex officij. de præscrip.* Procurationes autem prædictas nemo ante perfectam visitationem impunè percipiet. *c. 2. de censi. in 6.*

Et cum Innoc. IV. prohibuisset in pecunia numerata procurationes solui, Bonifacius tamen VIII. moderatus est, ut ab invitis quidem, (quod & ab Innoc. statutum fuerat) pecunia pro his alimentis exigi non possit, à volentibus autem, & ultro offerentibus pecuniæ loco alimentorum accipiendi potestatem facit; adijciens ne una & eadem die præter unam procurationem accipere quis possit, tametsi ea die plura loca invisisset,

visisset, quæ singula integris procurationibus dandi soluendo essent. *c. fœlicis. de censi. in 6.*

Sed & ne procurationes hæ immoderatæ darentur, plura emanarunt Pontificum Decreta statuentia, quid unusquisque Prælatus habita personæ & dignitatis omniumq; cautionum ratione accipere possit. *ca. cum Apostolus. in princ. de censi. c. 1. §. procurationes. eo. tit. in 6. c. unico. in extravag.*

# INSTITUTIONUM JURIS CANONICI

## Liber Secundus.

### TITULUS I.

### *De Clericis regularibus, & eorum statu.*

NUnc videndum de clericis regularibus, seu religiosis, quod idem est, nam etsi multa ex

ta ex his, quæ supra tradidimus, etiam his conveniant, tamen quia & quædam jura præcipua habent, ea quoq; tradenda sunt, Regulares autem dicuntur clerici à regula speciali in quam jurarunt: & sunt illi, qui per emissionem professionis, vel paternam devotionem sequenti ratihibitione Prælati imperio sub aliqua speciali & probata regula subijciuntur. *Hostiens. in summa.* si tria substantialia professi fuerint, paupertatem, obedientiam, & continentiam. neque enim satis est unum vel alterum ex tribus juravisse supradictis vel voviſse, ut regularis dici possit, quamvis religio illa à sede Apostolica recepta esset. *Abb. in Rubr. eod. tit. gl. cle. 1. ver. obedientiam. de relig. domi. gl. cle. cum ex eo. ver. tertio, de senten. excommu.*

Fit autem duobus modis professio, expressè & tacitè: expressa est professio, quæ & solennis meritò appellari potest, cum novus monachus pro-

professurus coram Abbate, vel Priore, alteriusve nominis Prælato ejus religionis, quam sibi ipse delegit, promissionem accipiente vel coram simplici etiam monacho à Prælato mandatum habente, conventu præsente universo hujus sententiæ promissionem emittit, sese Deo ac sanctis ejus, & Prælato promittere; quantum sibi opis Deus dederit, adhibiturum, ut continentiam, quam pro humana imbecillitate poterit, servet incorruptam; utque Prælato obedientiam & observantiam ex regulæ præceptis debitam præstet; malamque vitæ consuetudinem, & mores (si quos hactenus corruptos habuit) in melius deinceps mutet. testari etiam simul debet, sese bona sua repudiare.

Qua promissione exhibita professionis habitum suscipiet. *Spec. in tit. de regular.* solent enim hujusmodi generis clerici plerunque nondum juratos, nec religioni addictos homi-

nes, qui novitij vocantur, à veteranis, quos professos vocant, vestium discrimine segregare: sive id discrimen coloribus vestium diversis, seu vestium modo & forma inter se differenti notetur. *cle. eos qui. de regular.* Quæ diversitates oculis patentes sunt. Sed & alijs quoque modis, non tamen ita manifestis, hæc duo vestium genera secernuntur. nam vel diversis locis suscipiuntur, putà tyrones, id est, novitij suas vestes in monasterio sumunt, initiati quos professos vocant in Ecclesia ante supremum altare, vel huic duntaxat professorum vesti benedicitur non illi novitiorum, vel hæc ab una certa persona, putà Abbate vel Priore tantùm conferri potest, illa novitiorum etiam ab alijs Abbate inferioribus, vel alijs demum diebus solent professi indui, novitij. *c. 1. in fin. de reg. in 6. d. cle. eos. in fi. c. statuimus in fin. eod. titu.*

Sed ne quivis temerè & inconsulte

sultè, & repentino quodam animi impetu quasi vento incitatus, (quod non rarò accidit) potius quàm certo animi judicio religioni quandoque se devoveat, quam deinde pœniteat esse professum, dum ejus asperitatem ferre non potest, constitutum anni integri est tempus, quo in monasterio, professorum regulis solutus, moretur experturus, an ea sibi vita placeat, & tolerare eam possit; & quo tempore vicissim ejus vita & mores à Prælato spectari & cognosci possint. ante quod, liberum est novitio ad seculum arbitratu suo reverti. *c. consulto. & c. penult. eod. tit.*

Et Abbates, qui cujusvis generis homines quoslibet ante supradictum tempus ad professionem admiserint, canonicas pœnas non evadent. *c. ad Apostolicam.* Tametsi etiam interdum ante anni lapsum possint professionem admittere, quæ valitura etiam sit, ut cum novitius eo tempore satis

se periculum sui feciſſe ipſius aſſerit, seq; ad omnia regulæ onera conſtanter ferenda affirmat. *d. c. ad Apoſtolicam.* Sed & anni tempus quandoq; Prælati arbitrio, vel ad biennium, vel ad triennium produci poteſt, & ante id profeſsionem admittere detrectare poteſt. quid enim ſi novitij conditio, & vita Prælato omnino ignota ſit: & de ejus moribus nullam antea notitiam habuerit? *Abb. d. c. ad Apoſtolicam.*

In mendicantibus autem monachis, propria quædam jura ſervantur. nam ſi quis eorum regulam etiam expreſsè ante probationis tempus ſupradictum, quamvis prælato accipiente, fuerit profeſſus, ei tamen regulæ non erit præcisè obligatus: ſed modò alij cuivis regulæ ſe addicat, eamq; obſervet, nihil ei poterit crimini adſcribi, quod hanc deſeruerit. quod cum in prædicatoribus ſolùm, & minoribus religioſis ab Alex. IV. ſtatutum eſſet, ad omnes deinde cu-

juſvis

jusvis generis monachos mendicantes, scilicet, heremitas, & Carmelitas à Bonifac. VIII. extensum est. *c. non solùm. c. seq. in 6.*

Tacitè autem fit professio, veluti si quis ultra probationis tempus in monasterio permanserit, indiscretum habitum gerens, & alijs modis. *glo. clem. eos. ver. deinceps. eod. tit.* putà si actibus professorum ultro sciens se ingesserit. *Abb. c. vidua. per illum text. extra eo.* In alijs autem religionibus professio expressè vel tacitè fieri potest intra annum: sed expressè emissa etiam secúlari habitu non mutato illi religioni præcisè obligat, quam profitens est professus. Tacitè verò facta infra probationis annum per susceptionem habitus, qui profitentibus tantùm datur, non illi specialiter, cujus habitus est susceptus, sed generaliter religioni alicui recipientem obligat, si ætatis aptæ sit sciens, & voluntarius, & triduo perseveret.

*c. constitutionem. de regul in 6.* At si tacitè quidem professio facta sit, sed per gestationem indistincti habitus anno integro factam, non dubium est hac ratione illi ipsi regulæ obligatum esse, cujus habitum induerit, nisi hujusmodi habitus in colore, scissura vel forma se distinctum patenter exhibeat ab habitu professorum. *d. cle. eos.* Supradicta in illis procedunt, qui jam puberes facti religionem ingressi sunt. Is verò, qui monasterium ante 14. annum, ut monachus efficiatur, ingreditur, nisi eo completo professionem faciat in sequenti, vel habitum religionis suscipiat, qui dari professionem à se prius factam ratam expresse habeat, liberè potest intra ipsum sequentem annum ad seculum remeare, quod si per totum sequentem annum in monasterio permanserit, ubi professorum, & novitiorum sunt habitus distincti, professionem

sionem per hoc feciſſe, vel, ſi quam prius fecerat, ratam habuiſſe videtur; niſi tanta indiſtinctio ibi habitus habeatur, quod & profeſſi & novitij, ac etiam alij communem vitam cum eis ducentes ſimili penitus habitu induantur. *ca. conſti. de regul. in 6.*

In omnibus autem generaliter, qui aliquam regulam profiteri voluerint pubertas exigitur, id eſt, in maſculis ætas quatuordecim annorum, in fœminis duodecim. *gl. d. cleri. eos. ver. ætate.* Sed & quandoq; plena pubertas requiretur: id eſt, decem & octo annorum, ut, ſi congregatio ſit difficilis, vel regula valdè anguſta. *l. c. quia in inſulis. ubi Ab.*

Beneficium autem illius, qui religionem ingreditur, non eſt intra probationis annum alicui conferendum, niſi vel ipſius acceſſerit aſſenſus, vel manifeſtis indicijs colligatur decreviſſe eum vitam abſolutè mutare, vel profeſſionem expreſſam ediderit.

aut demum professorum habitum sciens receperit; sed interim alius ei beneficio minister dabitur assignata ei congrua de illius proventibus portione. *ca. benefi. in 6.*

Hoc etiam valdè providendum est, ne cui monacho de monasterio in monasterium temerè migrare permittatur, nec peculiare quicquam habere, sed monasterium suum deserens ad illud competenti coerctione redire compellendus est: *c. Ioannes.* ad arctiorem tamen regulam migratio concedetur, dum venia à Prælato sit petita, quamvis non impetrata. *c. licet.* Et religiosis mendicantibus Martinus 4. interdixit, sub excommunicationis pœna, ne quovis quæsito colore ad aliam non mendicantium regulam se transferant. *ca. t. extravag. commu.* & Clem. 5. constituit quoslibet mendicantes, qui ad non mendicantium ordines etiam authoritate Apostolica transierint, à Prioritatibus

tatibus, administrationibus, officijs, vicariatibus, & alijs quoquo nomine vocentur, repelli debere. *cle. 1.* Atq;, ut omnibus religiosis paupertatis onus ferendum sit, his tamen magis observandum præcipitur, qui fratres minores appellantur Beati Francisci regulæ addicti, ut ejusdem Clementis constitutione continentur. *cle. exivi de paradiso. de ver. signi.*

Non omittendum est, nemini licere novam religionem instituere: sed quicunque ad religionem sese convertere voluerint, unam ex olim institutis, & ab Ecclesia receptis optent: & consequenter qui voluerint religiosam domum fundare, ex veteribus religionibus accipere debent: *ca. fin. extra de religio. domi.* Probatæ autem religiones sunt principaliter, Basilij, Benedicti, Augustini, Francisci. A quibus tanquam fontibus cæteræ omnes manant. *summa Angel. verbo. religiosus. column. 2. ubi apost.*

*& Boer. trac. de vita & ſta. here.* Et hactenus ſatis de regularibus dictum videtur.

## TITULUS II.

### *De Vita & honeſtate Clericorum.*

CONgruit, ut clerici omnes, quemadmodum in ſortem Domini ſunt vocati, & à populo officijs & ordinibus diviſi ſunt, ſic etiam ſumma ope nitantur & ſtudeant, vitæ integritate ac ſanctitate cæteris ſeſe præſtare, ut alijs documento ſint, & diſciplinæ, & lucernam ſuam ardentem palàm manibus præferentes olei nunquam copiam non habeant; ne eorum ſimiles ſint, qui lucernæ, ut ardeat, tantùm lychnum emungunt, & manu contrectant, olei autem nihil inſtillant: quapropter certa ſacris canonibus præcepta eorum vitæ inſtituendæ, & moribus caſtè informandis tradita ſunt. Nam interdum his conſulunt, quid eos maximè deceat,

deceat, quidve eorum gradu indignum sit, quid quemq; clericum sequi, aut quid fugere oporteat, interdum etiam severè imperant & bonæ apud homines famæ in detrimentum, salutisq; æternæ jacturam minantur, & demum, quia præsentia sæpe magis metui solent, quam futura, & quæ terrestria bona auferunt, quàm quæ cœlestium futurum dispendium portendunt, modò officia, modò beneficia adimunt, suspendunt, interdicunt, & Christianorum consociatione privant.

Curare igitur debent hi, ut gravitatem in actibus, sermonibus, vestibus, & omnibus moribus, & omni denique; vita præ se ferant, hinc Innocentius sanxit, ne clerici officia & commercia secularia exerceant, præsertim inhonesta; mimis, joculatoribus, & histrionibus operam ne impendant; & ut tabernas fugiant, nisi fortè necessitate adducti, putà, dum peregrè profi-

proficiscuntur; aleis & taxillis ne ludant, nec ludentibus intersint; coronamq; & tonsuram in capite ut ferant; seque in officijs ecclesiasticis tantùm, alijsq; honestis, & utilibus studijs exerceant, quod sanctius etiam postea firmatum est per Leonem 10. piæ memor. in Concilio Lateranensi. Vestibus autem utantur neq; effusa prolixitate nimiùm luxuriantibus, neque angusta supra modum brevitate sordescentibus; omnium deniq; vestium, & ornamentorum quæ clericorum usui sint, formam quàm exactissimè Innocen. idem præfinivit. *c. clerici hoc titu.* Clemens etiam V. pœnam sanxit adversus clericos, qui decori sui metas non servantes vestibus nimiùm mollibus usi fuerint, nam beneficia habentibus fructus beneficiorum semestres adimit: beneficijs autem carentes clericos, sacris tamen ordinibus inauguratos omnibus excepto presbyteratu sex item men-

menses ad beneficia Ecclesiastica aspirare vetat, quod ad alios deinde neque beneficia, neque ordines sacros consecutos clericos extendit, qui prohibitas vestes, & tonsuram simul gestaverint. At, qui dignitatem habent vel personatum, vel beneficium, cui animarum cura incumbat, si citra justam causam interdictis vestibus usi fuerint, anni unius fructuum jactura suorum beneficiorum damnantur. *cle. fi.*

Item prohibentur clerici causa lucri negotiari, & monachi suo nomine conductas possessiones tenere, *c. secundum. instituit. ne cler. vel mona.* Item clericis ad sacros ordines promotis tabellionatus officium per beneficiorum subtractionem interdicitur. *c. sicut.* & generaliter quævis officia vel negocia etsi alioqui turpitudine vacantia exercentes, si tamen clericis interdicta sint, à pœna immunes non abeunt, nam si tertiò moni-

moniti à negocijs ejuſcemodi ſecularibus ſe non amoverint, priviligijs omnibus privantur, quæ clericorum bonis à jure conceſſa ſunt. *c. fin.* Et quandoque etiam ſeveriùs puniuntur, ſi eorum contumacia, & mores hoc mereri videantur. *de. t.*

Quinimo & Alex. 3. edixit, ut nulli religioſo poſt votum religionis ſuſceptum & poſt factam profeſſionem ad Phyſicam, vel leges ſeculares legendas exire liceat, pœna etiam violatoribus addita. *c. non magnepere.*

Quam Alexandri Conſtitutionem Honorius 3. poſtea ſic declaravit; ut ejus transgreſſor ipſo jure ex canone latæ ſententiæ excommunicationi cenſeatur obnoxius; eamque extendit, ut Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpoſitos, Cantores, & alios clericos perſonatus habentes, & presbyteros complectatur. *c. fin.* Sed rurſus Honorij legem Bonifacius 8. ſic interpretatus eſt, ut eos non includat,

dat, qui Ecclesias parochas obtinent, quamdiu ad ordinem Sacerdotalem non sunt promoti; nisi sub se habeant sacella, in quibus instituantur clerici perpetui nequeuntes ab eis citra causam legitimam removeri. *c. 1. in 6.* aliaque in hanc rem utilissima eadem constitutione idem Bonifacius comprehendit. Novissimè quoque ex Concilio Lateranensi sub Leone 10. statutum est, ne quis in sacris ordinibus constitutus, in gymnasijs generalibus, vel aliàs publicè audiendæ Philosophiæ, aut poesis studijs ultra quinquennium post Grammaticam aut Dialecticam, sine aliquo studio Theologiæ aut juris Pontificij incumbat, verùm exacto quinquennio si illis studijs insudare voluerit, liberum sit ei, dum tamen simul aut seorsum Theologiæ, aut sacris canonibus operam navet. Et hæc quidem ab illis patribus statuta sunt, ne clerici humanarum literarum illecebris capti

Theo-

Theologiæ ſtudia omittant, cui eos omni cura vacare convenit, cum infectas Philoſophiæ & poeſis radices & aliunde ortas peſtes per hanc ſanare, & purgare debeant. *ca. fin.*

Prohibentur quoque clerici ſacrati procuratores aut miniſtri in judicio ſeculari laicorum eſſe. *ca. 2.* quemadmodum etiam prohibeatur procurationes oppidorum, aut ruriurium, aut quaslibet ſeculares Jurisdictiones hominum ſecularium vice & nomine ſuſcipere, & exercere, niſi ab eccleſiaſtico miniſterio velint eſſe alieni, & religioſi clerici ſeveriùs etiam puniri velint. *cap. ſed nec.*

Cujuſvis autem ordinis clericus quamvis nondum ſacer effectus ſanguinis judicium ad mortem aut membri mutilationem inferendam exercens honore privatur & loco. *c. clericis in ſacris ubi Abba.* Et non modò ſanguinis ſententiam dictare, aut proferre, aut ſanguinis vindictam exer-

exercere non debet, sed neque, ubi exerceatur, interesse, nec literas dictare, aut scribere in sanguineam ultionem mittendas, nec viris sanguinum ullis tanquam eorum dux præfici potest.

Item presbyter, Diaconus, Subdiaconus à Chirurgicæ artis exercitio repelluntur, qua aduſtio, vel inciſio aliqua irroganda ſit, alijsque artibus, quibus ſimilia officia ineſſe neceſſarium ſit. *c. cum ſententiam ſanguinis.* Clerici quoq; arma portantes, & uſurarij excommunicantur. *c. 2.* Et clericus percuſſor, qui ſe non corrigit, deponendus eſt. Epiſcopus autem, cujus mandato mulier ob delictum, ſeverè nimiùm flagris ſeu fuſtibus cæſa fuerat, duobus menſibus à miſſarum adminiſtratione Gregorij Pontificis Romani decreto ſuſpenſus eſt. *c. 1. & 2. de cler. percuſ.* Venationes item & aucupia à clericis omnibus aliena eſſe debent, *decle. vena.*

Iam

Jam ex supradictis nemo non judicare potest, quàm deforme existimetur in clerico incontinentiæ & fornicationis vitium, cum supradicta, quorum multa minora sunt, tam acerbam vindictam expectent, quare clericus fornicator potest ab officio suspendi, sive jam monitus se non correxerit, sive etiam nulla monitio præcesserit, si ita judici sedeat, qui & delicti pondus, & locorum consuetudinem perpendet, atque ex eis judicabit, an à monitione, vel suspensione, aut potius privatione perpetua incipi præstet. *Ab. c. at. si clerici. nu. 36. ver. & ideo concludo. de judi.* Qui clericus si contempta suspensione divina celebrare ausus fuerit, & in vetere flagitio perseverare, non beneficijs ecclesiasticis tantùm exuetur, sed etiam perpetuò deponetur. Quæ pœna etiam prælatos manet, qui hujusmodi subditorum vitia æquo animo tulerint, nec in eos animadverte-

verterint. *c. ut clericorum ubi Ab. hoc. tit. ca. ſicut ad extirpandas. c. clericos. & c. ſi autem. de coha. cle. & muli.* Et clericus Concubinam palàm habens ipſo jure ab officio eſt ſuſpenſus, nec partem ab eccleſia ſuſcipere poteſt. *c. ſuper hoc 32. diſt.*

Severiùs etiam puniuntur clerici quibus matrimonium contrahere ex regionis fortè uſu permiſſum eſt, ſi in hæc flagitia lapſi fuerint: non tamen Prælatus clericum coget omnino, ut concubinam abiuret, quia periurij metuitur periculum, ſed dimittere recuſantem interdicet, ſuſpendet, & demum etiam excommunicabit. *d. c. ut clericorum. cum aliis ſupra allig. in 6.* Quæ pœnæ ſi priſcis comparentur, quætunc infligi ſolebant, cũ eccleſia adoleſceret, quo tempore longè maximus erat in fide ardor, leves medius fidius judicarentur: nam vel ſimplex fornicatio olim juſta cauſa clerico deponendo exiſtimabatur.

*6. pree-*

*c. presbyter. 81. dist. Abb. d. cap. sicut ad extirpanda.*

Atq; ut hisce vitijs via omnis (quoad fieri potest) claudatur, omnisque occasio resecetur, certis juribus provisum est, ut ea vitentur, ex quibus contra eos læva suspicio oriri posset: hinc & prohibentur clerici mulieres domi habere, quæ incontinentiæ suspicionem præbere possint, quamvis matres eorum essent, aliove consanguinitatis gradu aut genere conjunctæ. *c. 1. de cohab. cler. & mul. ubi Abb.* Et quaruncunq; mulierum frequens, & assiduum colloquium sacris clericis interdicitur: monitisque, nec tamen absistentibus, excommunicatio inuritur. *c. 2. de coha. cler.* & clericus sine manifesta, & probabili causa ad sanctimonialium cœnobia frequenter accedens per Episcopum arceri debet: seque non corrigens ecclesiastico beneficio privari.

*c. monasterium. hoc. tit.*

TITU.

## TITULUS III.

### *Qui clerici matrimonium contrahere possunt, qui non.*

A Deò in clericis castitas commendatur, ut non solùm secundùm supradicta à libidine etiam in laicis damnata abstinere Pontificijs legibus jubeantur, sed ipsi etiam matrimonio alioqui sancto, & à Deo instituto aliqui eorum aspirare prohibeantur, *c. 1. dist. 32.* neque id temerè, cum castitas sit primum clerici fundamentum, § *hoc de deo. in aut. quom. oport. Episc.* omniumq; sacerdotum ita excellens sit electio, ut quæ in alijs membris Ecclesiæ vacare vitio creduntur, in illis tamen habeantur illicita. *d. c. 1. distin. 32.* Quare Episcopus, Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, & si irregularitatem etiam contraxerint, ad matrimonium tamen accedere prohibentur: at si matrimonium de facto contraxerint,

nulla habita irregularitatis ratione, ſeparabuntur: *c. 1. qui cler. vel voven.* & compelli poterunt per ordinarium, ſuſpenſionis, & excommunicationis remedijs uxores repudiare: & nihilominus à majoribus ordinibus repellentur, & in ſuſceptis adminiſtrare prohibebuntur: ſanè ſi religionem ingredi voluerint, majores quoque ordines retinere, & aſſequi concedentur. *c. ex tuarum. eo. tit.* Poteſt tamen Epiſcopus ſacerdoti, qui poſt nuptias, vel contubernia veriùs contracta, eaque dimiſſa diu ſe continuerit, & pœnitentia acta laudabile ſui ipſius ſpecimen præbuerit, officium ademptum, & executionem reſtituere. *c. ſane.* Qui verò eſt intra minores ordines clericus nuptiarum incapax non eſt, verùm beneficio, quod habet, ſpoliatur, recipit tamen expenſas, quas in rem illius eccleſiæ irrogarat, *c. quod à te. de cleri. coniu.* nec prodeſt clerico, quod beneficium ei ſit,

sit collatum post nuptias ab eo contractas, ut illud retinere possit. *c. diversis.*

Item hi clerici uxorati amittunt privilegium, quo rerum suarum immunitate potiebantur. *c. penul. de cler. conjug.* saluum tamen eis remanet privilegium, ne sub judice laico conveniri possint: neve cura excommunicationis pœnam manus injuriosas quis in eos inferat, dum clericorum in habitu incedant vestibus clericalibus utentes, & tonsuram gestantes: dumque uxor, quam habet hic clericus, prima, unaq; ei nupta fuerit, & virgo. *c. unico in 6.*

Sed sicut clericus à matrimonio repellitur secundùm proximè supra à nobis dicta, ita è converso dum quis jugo uxorio jam pressus est, neque ad beneficia, neque administrationes ecclesiasticas; sed nec ad aliquos ordines accessum habet, nisi fortè castitatem voviſſet, cum uxoris consen-

sum haberet, vel, si adolescens ea esset, religionem ingressa fuisset, & eam unam, eandemq; virginem habuisset uxorem. *c. sane. 1. de cler. conjug. ubi gloss. & Abb. nu. 3.*

Atq; ex his unusquisq; judicio assequi potest, quanto majore ratione personæ supradictæ à dignitatibus Ecclesiasticis summoveantur, vel quæ dignitatibus Ecclesiasticis auctæ sunt personæ, à matrimonijs repellantur. *c. cum ad decorem. e. tit.*

## TITULUS IV.

### *De Clericis non residentibus.*

SUpradicta etsi Clericis diligenter observanda sint, non tamen satis fuerit ea observasse: nam & alia existunt, quibus clericus præstandis tenetur, & certè cum Ecclesiæ clericis cũ inquisitione credi soleant, apparet eorum, quibus committuntur, eligi industriam, quibus id oneris tutô imponi

poni possit: quare & eos convenit in ipsis Ecclesijs residere, & officium suum naviter obire: ne eorum à quibus probati sunt, fidem fallant, si ipsi officio suo (ut par erat) studiosè non superfint: quod non sine magna populi offensione, & animarum sibi creditarum dispendio eveniret. Curam igitur adhibent Pontificiæ leges, ut unusquisq; Ecclesiæ Rector, vel præfectus eam ipse regat, in eaque temporibus debitis resideat: *Ab. c. ex parte. 2. versu sed quæro qualiter.*

Quocirca, si quis à suo sacerdotio quamvis simplici. *Ab. c. pe. nu. 5.* diutius abfuerit, quàm Ecclesiæ utilitas exposceret, monendus erit, & terminus ei statuendus, intra quem commodè reverti possit, quo lapso, si omnino sine causa probabili sui copiam non fecerit, beneficio privari poterit, illudq; in alium transferri. *c. ex parte vestra. cum duobus seq. ubi Ab.* sed & alia via poterit clerici non resi-

dentis contumacia coerceri ex Concilio Agathensi, nam in minoribus ordinibus constitutus clericus, si ab Ecclesia sua diebus solennibus abfuerit, id est, nativitate Domini, Epiphania, Paschate, vel Pentecoste, triennio à communione suspendetur. Diaconus verò & presbyter, si tribus hebdomadis suæ Ecclesiæ defuerint, huic pœnæ succumbent. *c. si quis in cle. 7. q. 1.* Cæterùm, si incertum sit, ubinam gentium agat Clericus vel Prælatus, qui à sua Ecclesia desideratur, vel ita absit, ut non facilè ad eum citatio deferri possit, tribus edictis evocari eum oportebit, publicè propositis in ejus Ecclesia; quibus si minimè audiens fuerit, & sex menses expectatus non redierit, ecclesia illa spoliari legitimè poterit. *ca. ex tuæ devotionis. in prin.*

At si in rem Ecclesiæ fortè non sit, ut clericus hic vel Prælatus propter ipsius præstantiam ab ea exturbetur, putà, quia ejus opera multis de cansis

causis Ecclesiæ utilis noscatur, dum adsit, eamq; velit impigrè (ut decet) ac sedulò præstare, ideoq; meliùs videatur eum ad Ecclesiæ ministeria juris remedijs revocare, quàm ab ea summovere, ita poterit procedi: ut per suspensionis vel excommunicationis remedia redire compellatur, quæ si nihili facere se ostenderit, tunc verò etiam spiritualium administratio ei interdicetur. Quod si is, qui desideratur, Prælatus, in Pontificia dignitate constitutus sit, ad legati, vel alterius officium hoc pertinebit, ut ex speciali mandato Summi Pontificis, hunc Episcopum ita meritum ab Episcopatu removeat. *c. ex tuæ § contra eos secundùm unum intellectum.* Episcopus enim quivis ab alio quàm à Summo Pontifice Episcopatu privari nequit, quare nec prior procedendi modus à nobis in principio hujus tituli supra traditus poterit adversus Episcopum exerceri. *d. §. contra eos. ubi not*

Sed posteriorem hunc in eum experiri est necesse, nempe ut suspendatur ab Archiepiscopo, & excommunicetur, & demum Summi Pontificis mandato Episcopatu privetur. *d. §. contra eos. & c. accusatus. 3. q. 6.*

At constitutio, qua clerici residere jubentur, ita procedit, ut nullum fiat discrimen inter beneficia opulenta, vel tenuia, aut inter ordinem supremum, vel infimum, nam & Clericum habentem beneficium non excedens proventum viginti aureorum annuum residere nihilominus oportet. *ca. conquerente.* & Cardinales quoq; ipsi huic Sanctioni subiacent, cum & Leo. 3. Anastasium Presbyterum Cardinalem tituli Beati Marcelli deposuerit, eo quod parochiam suam annos quinq; desertam esse passus fuisset. *ca. 2.*

Distributiones item quotidianæ alijs erogandæ non sunt, quàm qui divinis officijs celebraturi interfunt: nec

nec ulla eis patrocinatur consuetudo in contrarium præscripta: quicq; distributiones contra prædicta acceperint, non facient suas, sed restituere eas tenebuntur: quod & in distributionibus dividendis pro sacrificijs defunctorum anniversarijs observatur, *ca. unico. eo tit. in 6.* nec minùs locum habet, si quis absit, ut Theologiæ studio operam det. tunc. n. etsi beneficij fructus percipiat, canonicas tamen distributiones non percipiet. *ca. licet vobis. de præben.*

Utque omnia suo jure faciliùs procedere possint, constitutum est ex concilio Lateranensi, ut, cum Ecclesia, vel ecclesiasticum ministerium conferendum est, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per se ipsam valeat exercere, nisi & qui acceperit, acceptum amittere, & qui contulerit, conferendi potestate deinceps privari velit. *ca. quia nonnulli.*

Relaxantur tamen interdum ex justis causis, & remittuntur supra statuta: & conceditur interdum clerico à suis beneficijs abesse, nam & studiorum rei literariæ honesta est causa, quibus ut clerici imbuti meliores, utilioresq; fiant conceditur, ut dum in illis versantur, beneficiorum suorum fructus nihilominus consequantur, dum tamen se ad honesta gymnasia non ad villas, aut minuta castra studiorum causa transtulerint. *c. tuæ fraternitatis.* Item pro ecclesiæ suæ juribus tuendis, & conservandis abesse quis potest, etsi promotionis tempore jurasset in ea residere. *ca. ex parte tua fuit propositum.* Familiares quoq; Summi Pontificis, dum in ejus obsequijs sunt, etsi in ecclesijs suis non resideant fructus licitè percipient, *c. cum dilectus filius.* nec oberit eis constitutio contraria ex ea synodo profecta. distributiones autem canonicas non percipient, quod

quod & de canonicis obsequijs Episcopi sui additis est accipiendum, modò plures non sint, quàm capituli sui usus, & necessitas patiatur. *c. ad audientiam nostram. ubi Abb.* Si tamen ecclesiam debitis ministrorum officijs carere appareat, & ex hoc damnum ferre, dum plures ex ea privilegijs innitentes eam deserunt, poterunt tunc fructibus subductis ut revertantur, compelli. Clericus autem valetudine adversa impeditus, ne possit munera sua obire, beneficij sui fructus nihilominus consequetur, *ca. 1. de cleri. ægro.* & distributiones canonicas, & omnia, quæ sano ministerium suum præstanti daretur. *ca. uni. de cler. non resi. in 6.*

## TITULUS V.

### *De voto.*

VOtum est alicujus boni operis cum deliberatione Deo facta promissio, ut Beatus Thomas censuit,

*habes in ap. ad Abb. in rub. eo.* seu ut alij, est propositi supererogantis promissio Deo facta propter bonum finem, ex deliberatione firmata. *Summa Angel.*

Est enim sciendum, non idcirco adstringi aliquem voto, quod tantùm animo conceperit, se aliquam operam Deo acceptam operaturum, nisi etiam id firmo certoq; animo stabilierit: quare etsi quis cum animo agitaret de religionis habitu suscipiendo, verba hujus sententiæ edidisset: non diu hîc cómmorabor, voti reus non propterea est censendus. *ca. 2. eod. titu.* Tunc enim dumtaxat initiatum est votum, nondum autem confirmatum: at si deliberatio matura præcessisset, dehinc in ea fixus perstitisset, tunc utiq; etiam confirmatum dici posset. cum verò præterea etiam verba profert, quibus fixam animi sui deliberationem aperit, consummatum jam deinceps votum dicetur. *Abb. d. c. 2.*

Ha-

Hactenus tamen, nisi ulterius sit processum, simplex adhuc erit, nondum autem solenne. nam quamdiu ad aliquam solennitatem ventū non sit, qua voti executio initium accipiat, simplex appellatur. Sed cum executioni ipsius per solennitates aliquas ei rei necessarias initium datur, tunc jam solenne effectum dici potest, veluti, si quis voverit, se religionem probatam ingressurum; susceperitque sacram vestem, quæ professorum propria est, vel si expresè in manibus prælati religionem, & regulam professus sit; vel sacros ordines acceperit, qui eis se devoverat. his & similibus modis solenne effectum dicetur: antè verò, quàm ad hujus generis solennitates ventum sit, quamvis expressa pollicitatio clarè pronunciata sit, simplex appellatur: quod tamen votum simplex non minus Deo obligat, quàm solenne, etsi in alijs differant: veluti quod votum

solenne non solùm matrimonium contrahi impedit, sed etiam contractum dirimit: quam vim simplex votum non habet: contrahendum enim duntaxat impedire solet. *c. rursus ubi gl. mag. qui cler. vel voven. & c. uni. eo. tit. in 6.*

Hactenus de Personis, id est, de ordinibus clericorum, & quæ personæ, aut à quibus, vel quibus temporibus ad ordines admitti possint: item de Prælatis & eorum officijs disseruisse sufficiat. Nunc ad secundam partem propositæ divisionis transeamus: id est ad dicendum de rebus ipsorum clericorum, & initium sumamus à Titulo de Præbendis.

## TITULUS VI.

### *De Præbendis.*

PRovident Sacri Canones, ut qui ministerijs Ecclesiæ se devoverunt, in eisq; assidui sunt, his etiam ab ijsdem ecclesijs opes suppeditentur,

tur, quibus se dignè & honestè sustentare possint, *c. cum secundùm Apostolum. de præben.* ne, si eos presserit inopia, necessitate urgente cogantur, vel à divino famulatu recedere, & ad alia officia, vel negotia, unde victum sperare possint, se tranferre; vel saltem simul Deo ac mundo æquè operam suam locare: quod quàm difficilè, aut verius impossibilè sit, nemo tam obtusam habet ingenij aciem, cui sit incognitum. Idcirco ex Ecclesiæ patrimonio singulis clericis pro eorum meritis, & dignitatibus opes congruæ subministrantur, non ut tamquam proprias sibi eas vendicent. *ca. 3. eod. titu.* Sed quibus se honestè alere; ecclesiarum usui, ubi id opus esse viderint, succurrere; & pauperum egentiumq; hominum necessitatibus, si copiæ suppetant, subuenire possint.

Hæc autem bona Præbendæ appellantur: nihil est enim aliud Præbenda

benda, quàm certorum proventuum in Ecclesia percipiendorum jus, ratione divini officij, cui quis inseruit, *Ryp. ca. cum M. ferrar. nu. 17. vers. secundo modo. de const.* & altera quidem Præbenda est cõnexa canonicatus: altera etiam sine canonicatu confertur.

Et quantæ hæc res Romanis Pontificibus semper curæ fuerit, nevidelicet clericus inopia & egestate pressus jaceret, indicant plures constitutiones diversis temporibus à diversis Pontificibus editæ.

Nam & statuerunt, ne possit aliquem Episcopus ad sacros ordines promovere, nisi cui de alimentis etiam providerit, vel præbenda aliqua ei assignata, vel ex proprio sui ipsius patrimonio alimenta suggerendo, quoad certum ei titulum contulerit, nisi promotus in patrimonio locuplete esset, ex quo alimenta congrua habere posset. *c. 2. & 4. & c. tuis quæstionibus.* Hinc etiam qui ex

pote-

potestate sibi generaliter data clericos ad sacros ordines sine titulo evexit, eis etiam tenetur providere: qui verò certas personas mandat ad ordines evehi, vel personis ipsis jus facit, ut ab alijs promoveri possint, eis providere tenetur, si ad sacros nullo titulo fuerint evecti. *cá. si Episcopus. in 6.* Hinc etiam prohibetur in Ecclesijs collegiatis plures clericos instituí, quàm quot se alere absque penuria possint. *c. 1. & c. authoritate de Institu.* Eadem ratione fit, ut congruum non sit carere præbenda eum, qui in canonicum est receptus, *c. relatum. in fi. ubi gl. eo. titu.* quam primùm se facultas obtulerit, & interim distributiones quotidianas percipiat. *d. c. relatum. & c. dilectus filius. 1.* multaq; alia ad hoc necessariò instituta sunt, quæ aliunde sunt assumenda.

Præbendæ autem omnes aut aliquorum in tutela & patrocinio sunt, quia ab illis aut positæ aut locupletatæ

tatæ sunt, quas & propterea Patronatus jura appellamus, quamvis hæc fortasse quis præbendarum nomine non comprehenderit, de quibus infra. Plerumq; autem liberæ & ab omni cujusque patronatu solutæ sunt Præbendæ. In quarum collatione consuetudini imprimis, si aliqua ibi vigeat deferendum erit: nam si ex consuetudine capitulum solum conferre soleat, soli hoc jus permittetur: si Prælatus cum capitulo, utriusq; factum & consensus exigetur. Sin nulla ibi vigeat consuetudo, & de Præfectura Ecclesiæ collegiatæ vel conventualis agatur, collegium eliget vel conventus, confirmabit Episcopus. At si de beneficio inferiore agatur, putà beneficio præbendave simplici ecclesiæ cathedralis, Episcopus ipse unà cum Capitulo eorum largiendorum potestatem habebit; si tamen paruum fuerit beneficium, vel solus Episcopus sine Capitulo la-

tam

tam in eo potestatem habebit. Sin Præbenda vel dignitas, aliudve beneficium, de cujus collatione agitur, non in Ecclesia Cathedrali sint, sed in alia collegiata, id collegium cum Prælato eligent, institutio ad Episcopum pertinebit. In beneficijs verò cæteris, quorum dantur Rectores, si tenuia sint, solus item Episcopus potestatem habebit. sin opulentiora sint, Capituli quoq; consilium erit adhibendum. *Hostien. in summa de Elect. Abb. c. cum Ecclesia. col. 3. versi. primo casu. de Ele. ubi. apost.*

In his autem omnibus maxima & omnibus regulis soluta est semper Romani Pontificis potestas, quæ nullo modo minui unquam potest, quin omni casu quævis beneficia elargiri possit. *c. licet ecclesiarum. in 6.* Sed (ut omnia beneficia illius in manu sint,) ea tamen proprio quodam jure ad eum magis spectare videntur, quorum

rum possessores in curia Apostolica obierint: ea siquidem præter Summum Pontificem, nemo conferre potest. *d. c. licet ecclesiarum. in 6.* quod in omnibus cujusq; generis beneficijs procedit omnium aulicorum, & quorumcunq; ad curiam accedentium, vel ab ea recedentium, si in locis à curia non remotioribus duorum dierum itinere eos mori contigerit. *ca. præsenti declaramus. in 6. c. ad regimen in extravag.* nec non, & in legatis vel nuncijs aliquo per Curiam transmissis. *extravag. ex debito de elect.* Item in omnibus his, qui curiam sequentes in itinere moriuntur. *c. cum præsenti.* Solent etiam Summi Pontifices, certarum personarum, certiq; tituli beneficia ubivis locorum illæ personæ existant, & ubicumq; eorum possessores decedant, largitioni suæ reservare; aljjs potestatem ea conferendi adimentes, & irritum decernentes; quod cum faciunt, illa, quæ sibi reservarint, bene-

beneficia adeò sunt affecta, ut eorum collatio per alium exinde quemcumque facta nullius prorsus momenti habeatur. *ad regimen. c. ad Romani. in extravag. com. & c. ex debito. de elect. & c. dudum. de præben. in 6.* quinimo & si præbenda priùs alicui esset per electionem collata, quàm per Pontificem cum Decreto reservata, omnia post reservationem subsequuta effectu carebunt; licet reservatio, inhibitio, & Decretum electionem, aliaque præcedentia non afficiant. *c. si eo tempore. de elect. in 6.*

Legatus quoq; de latere Summi Pontificis missus beneficiorum conferendorum jus habet, ut supra nos docuisse meminimus. alius verò Legatus, qui à latere Apostolico non sit prospectus, nisi specialiter hoc ei indultum sit, beneficia non confert. *ca. fin. de offic. lega. in 6.*

Si verò ipsum Pontificem Romanum mortuum esse contingat, atq;

atq; ita sedem Apostolicam vacare, tunc cum beneficia curiæ Romanæ otiosa fiunt, aut, si mortuus Pontifex sit, antequam beneficia conferret, quæ se vivente vacabant, eaque beneficia ex his sint, quibus animarum cura est annexa, Ordinarius, ad cujus donationem alioqui pertinuissent, illa conferre poterit. *ca. si Apostolica sede. in 6.*

Item si summus Pontifex immensem distulerit beneficiorum in curia vacantium ad se pertinentem collationem, eas partes Ordinarius excipiet conferendo per se ipsum, vel ipso in remotis agente per suum vicarium generalem, in diœcesi existentem, cui id canonicè sit mandatum. *ca. statutum. de præben in 6.* ut ex Greg. X. Constitutione in Concilio generali Lugdunensi edita apparet. quæ tamen per Bonifacium octavum creditur abrogata, cum sanxit, ut dignitates, personatus, præbendæ, aliaq;

aliaq; beneficia Ecclesiastica cum cura, vel sine cura, quæ apud sedem Apostolicam vacare noscantur, & vacatura sint, sede Apostolicæ reserventur. *extrava. piæ sollicitudinis. Gomes in reg. de trien. pos. reg 31. dicit communem, quod c. statutum sit correctum.*

Sciendum est etiam, cum ipsemet Summus pontifex beneficia confert, vis longè majoris hujusmodi esse collationem, quàm ab alijs factam. hinc si à sede Apostolica, vel Legato ipsius uni, & ab ordinario alteri eodem die beneficium conferatur, is cui ipsa sedes contulerit, vel legatus (propter conferentis ampliorem prærogativam) erit alteri præferendus, nisi appareat ab ordinario prius factam esse collationem, vel nisi alter possideat. *c. si à sede. de præben. in 6.*

Item si super gratia cuiquam ab Apostolica sede facta executores fuerint deputati, sicut ipsa gratia, (licet

non-

nondum sit in ejus executione processum) morte non perimitur concedentis, sic neque etiam re integra perimitur executoribus data potestas. *c. si super gratia. de offi. deleg. in. 6.*

At si super provisione certæ personæ, facienda sit data potestas alicui non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, gratiam vel favorem, illa quidem expirat omnino, si concedens re integra moriatur, quamvis, ubi nulla personarum facta expressione alicui gratiosè est concessa facultas, ut auctoritate Apostolica possit aliquibus personis idoneis in certa Ecclesia providerè, vel beneficia, (quorum collatio est ad sedem legitimè devoluta) conferre, contradictores etiam compescendo, non expiret etiam re integra per obitum concedentis. *c. si cui. de præben. in 6.*

Frequenter etiam Summ. Pont. potestatem suam in alienis diœcesibus alijs quoque modis exercet earumq;

tumque ordinarijs ita manus devincit, ut non possint in conferendis beneficijs jus suum liberè exercere; dum vel ipse beneficia in eorum diœcesi posita largitur: vel ipsis injungit, ut vel soli, vel cum alio, qui executoris partibus fungatur, certis beneficia vacatura personis largiantur: vel etiam soli executori mandat, ut in aliena Diœcesi aliquibus provideat: quo casu ex sola rescripti Apostolici ordinario vel Capitulo, ubi ad ipsum collatio pertinebat, facta redditione absq; alia etiam executoris insinuatione, inhibitione vel reservatione, beneficium id, pro quo scriptum fuerit, adeò censetur affectum, ut nullius roboris habeatur alij de eo facta largitio. *c. si Capitulo. de conceſſ. præb. in 6.* Interdum tamen non omnis potestas ordinario adimitur per hujusmodi rescriptum. *c. si soli ubi glo. mag. in fi. de conceſſ. præb. in 6.*

Sciendum est, quamvis plenissima

ma sit aliàs in beneficijs interpretatio facienda: literas tamen ad beneficia obtinenda impetratas, cum sint ambitiosæ, restringendas esse, & ideo, si alicui usq; ad certam Summam provideri mandetur, non in pensione, sed in beneficijs ecclesiasticis tantùm provideri oportebit, nisi de pensione mentio habeatur expressa. Eadem ratione fit, ut quamvis sub nomine Ecclesiarum civitatis comprehendatur aliàs ecclesia Cathedralis; cum tamen alicui præcipitur de beneficio in aliqua ecclesiarũ civitatis, vel Diœcesis provideri; ad Cathedralem ecclesiam, (quæ propter ipsius honorem sub hac generalitate includi non debet) mandatum hujusmodi non extendatur. Aliud tamen erit, si mandetur in aliqua Ecclesia provinciæ provideri, tunc enim & metropolitana, & cæteræ cathedrales Ecclesiæ continentur. *c. quamvis plenissima. in 6.*

Item, cui de non sacerdotali præbenda

benda provideri mandatur; ei etiam volenti sacerdotalis hujus authoritate mandati conferri nequibit. Huc pertinet, quod, si in ecclesia, in qua integræ, & mutilatæ præbendæ existunt, præcipiatur alicui integram præbendam conferri, mutilata præbenda non poterit etiam consentienti dari. Et, cum injungitur, ut certi valoris præbenda alicui tribuatur, non poterit minoris valoris præbenda vel consentienti assignari. hujusmodi enim mandata (quorum fines diligenter servandi sunt) non debent extra casus expressos extendi. *cui de non sacerdotali. in 6.*

Item, si alicui de Ecclesijs, personatibus, dignitatibus, vel alijs beneficijs quibuscunque de animarum cura mentione non habita provideri mandatur; ea conferri nequibunt, quibus ea cura annexa est, longè enim præstantiorē esse oportet eum, cui cura animarum cum beneficio

creditur, quàm qui ad alia beneficia vocatur. est enim ars artium regimen animarum. *c. cum sit ars. de æta. & qualit.*

His adde, quod cum Pontifex Roman. præcipit, ut alicui provideatur de personatu vel dignitate, quamvis curam haberent animarum, ad collationem, provisionem, præsentationem, vel dispositionem spectantibus quorumcunque, hæ dignitates vel personatus videntur excepti, qui electione conferuntur. *c. cum in illis.* nec quicquam suffragij conferet de electione mentio enunciativè habita. *cle. p. de præben.* Cumque inter collationem, præsentationem, & institutionem multum intersit, si cui de beneficio alicujus collationem spectante provideri mandetur, de illo, quod ad ejus Institutionem, vel præsentationem pertinet, provideri non poterit, nec econverso, uno etenim supradictorum casuũ expresso, mandatum ad alios non extenditur, insti-

tutio

tutio enim de beneficio ab Episcopo fit, quod est in patronatu alicujus post factam admissamq; præsentationem. præsentatio fit à Patrono ipsi Episcopo de eo, quem velit ab Episcopo instituri, Collatio est donatio ab eo facta qui conferendi potestatem habet de beneficio, quod nullius in patronatu sit. multa præterea alia similia exempla supradictorum ratione, & regula studiosus sibi colligere potest. *d. c. cum in illis in 6.*

Non tamen ibimus inficias, interdum quoq; plenam & latam in beneficijs interpretationem fieri, ut, cum motu ipsius Summi Pontificis proprio literæ conceduntur, nam hujusmodi literæ pluribus beneficijs eodem tempore vacantibus de opulentiore intelliguntur: sin æqualis sint valoris, ei permittetur optio, cui literæ sunt concessæ. Contra verò ad Postulationem alicujus datæ literæ, ad beneficium angustius restringuntur:

tur: & si æqualia sint beneficia, eligeat is, qui alioqui conferendi jus habebat. *c. si plurib. in 6.*

Sed quemadmodum curant leges Pontificiæ, ne quis clericus in egestate jaceat, ita prospiciunt, ne quis beneficiorum ambitione alterius morti inhiet, quapropter vetat Concilium Lateranense ecclesiastica beneficia vel ministeria alicui conferri priusquam vacent, vel promitti, *c. 2. de concess. præb.* adeò quidem ut omnino vacare ea oporteat. *c. cum nostris. de concess. præben. fel.* Et ne ullo commento Concilij decretum deludi possit, quamvis olim Prælatus rectè promitteret, se provisurum, cum primùm potuisset, *ex tenore nu. 8. de rescrip.* Bonifacius tamen VIII. irritas inanesq; decrevit quascunq; promissiones sub quavis verborũ forma factas, quibus directò vel obliquè aperiri possit via ad beneficia vacatura *c. 2. de concess. præb. in 6. Ab. d. c. antepe.* Qui verò

verò in vivi sacerdotis præbendam suam non abjurantis locum scienS substitui se patitur, præbenda privatur, & ab Ecclesiastica communione pellitur eo ipso, quo se passus est, vivo sacerdoti successorem dari. *c. 1. de præben.* Postremò non lateat, in causis quorumcunq; beneficiorum procedi simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura judicij. *elem. dispendiosam. de judi.*

## TITULUS VII.

### *Quibus modis Beneficia vacent.*

AT ne quis fortè ambigat, quando beneficia vacare dicantur, huic quoque rei ex parte satisfaciemus. Vacare igitur potest beneficium morte, vel renunciatione ejus, qui illud fuerat assecutus, *c. susceptum. de rescrip. in 6.* sive simplex sit renunciatio, sive permutationis causa facta. *toto titu. de rer. perm.* Item si pœnæ causa ob delictum quis fuerit privatus

vatus beneficio. *c. ex literis. c. grave de excess. præl.*

Item, si quis ad Episcopatum electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, ecclesiasticorumq; bonorum administrationem habuerit decurso tempore consecrandis Episcopis à Canonibus diffinito is, ad quem spectat, beneficia, quæ habebat, disponere liberè potest. *c. cum in cunctis. §. cum verò. de elect.* Quin & generaliter ubicunq; secundum beneficium quis assequitur, quod vel curam habeat, vel dignitatem annexam, prius ipso jure vacabit, cui vel dignitas vel cura inhærebat. *c. de multa. ubi Ab. 3. not. extravag. execrabilis.* quod & infrà dicemus. Episcopo quoq; ad aliam sedem propria authoritate se transferente, ejusque possessionem adepto, prior ejus sedes vacua fiet. *ca. quanto. de transla. episco.*

Vacuum quoq; fiet beneficium parochum, differente eo, cui fuerat con-

conceſſum, ultra annum ſacerdotalis ordinis conſociationē aſſequi. *c. licet canon. c. commiſſa. de elect. in 6.* Item vacat beneficium clerici, qui matrimonium contraxit. *gl. c. de cler. conjug. in in 6. Abb. c. 1. extra eo.* Nec deerunt fortè & alij modi, qui ſtudioſis lectoribus canonicas conſtitutiones diligenter inſpicientibus occurrent.

Illud ſciendum, debere Epiſcopum, aut alium, qui beneficia conferat, modum exprimere, per quem beneficium à ſe collatum vacet, nec ſatis fore, ſi dixerit, vacantem ſe Eccleſiam conferre. *Bertran. conſ. 132. nu. 19. l. 2. Rebuff. tit. requiſita ad collationem, nu. 61.*

## TITULUS VIII.

### *De prohibita Beneficiorum multiplicitate.*

SEd &, ne dum Clerici opibus eccleſiaſticis ſupra modum augentur, & plurium Eccleſiarum curæ præficiun-

ficiuntur: vel tanto oneri succumbant, & aliquas ex Ecclesijs suis debito ministerio destitutas esse patiantur, quæ singulæ singulis creditæ meliùs fortasse fuissent administratæ, *ca. quia nonnulli ubi Abb. de cler. non resident.* vel ne fortè amplis luxuriantes divitijs clerici nimiùm efferantur, dum ipsis redundat, quod alijs deest: & ne desint, quæ alijs clericis suppeditari possint, Ecclesiæ facultas, si pauci eas exhauriant; Idcirco statutum est, ne quis clericus beneficium aut dignitatem habens, aliud insuper beneficium assequi, & retinere cum priore possit: nisi tamen alterum ex his simplex sit, & in quo residere minimè oporteat ex consuetudine, & angustius, quàm ut eo clericus honestè sublevari possit? *Abb. c. cum jamdudum. col. pen. nu. 8. & c. extirpandæ. §. quia verò nu. 34. in rep. de præben.* vel nisi unum alteri annexum sit, *d. c. extirpandæ. §. quia verò.* quæ cura Episcopo incumbet,

bet, ne patiatur suos clericos plures ecclesias eodem tempore habere. *c. quia in tantum. de præbend. & c. ordinarij. de offi. ord. in 6.*

At si quis contra hæc præcepta eodem tempore plura beneficia tenere non dubitarit, hodie aliam quàm olim vindictam sentiet. nam (ut nihil antiquitatis penitùs ignoretur) sciendum est, quater in hac re diversis quatuor temporibus variatum esse. Et primùm quidem Alex. III. constituit, ut qui duas ecclesias, seu curatas, seu cura carentes, duasve dignitates, aut duos personatus haberet, utrum ex eis retinere vellet, optare posset, alterum autem omnino, ut dimitteret. *c. referente. c. præterea. de præben.* Sed concilium Lateranense hanc constitutionem nimium mitem judicans, noluit ut res dein ceps in clerici arbitrio esset, cum utriq; beneficio vel dignitas, vel personatus ineesset, vel animarum cura,

sed ut beneficium posterius huic omnino auferretur & potestatem conferendi posthac amitteret, qui illi postremum contulisset. *c. quia nonnulli. de cleri. non resi.* Sed hoc tamen beneficium ex hac constitutione ipso jure non vacabat: quare Innoc. III. in generali concilio statuit, ut beneficium cum cura habens, vel dignitatem, vel personatum, si aliud simile beneficium, vel dignitatem vel personatum accepisset, beneficio priore vel dignitate, vel personatu tamque ipso jure vacantibus censeretur privatus. Iraq; ex Innocentiana constitutione non secundum, ut ex concilio Lateranensi, sed primum aufertur, idq; ipso jure, quod ex eo concilio non erat. Sed & hæc Constitut. locum non habet, nisi prius beneficium, vel curæ onus, vel dignitatem, vel personatum haberet, licet secundum ex illis esset, *c. de multa. ubi Abb. 3. not.* neq; huic constitutioni locus

cus

cus erit, etsi quis personatum cum cura animarum, & Ecclesiam parochiam præbendæ annexam eodem tempore habeat. *c. super eo. de præb. in 6.* Illud quoq; addidit, ut, si quis post unum beneficium, & alterum assequutus sit, & prius nihilominus retinere perseverarit, utroq; sit privatus: multaq; alia. Quæ omnia etsi viderentur constituta prudenter, satis tamen plenè Ioanni XXII. non fecerunt: quare is adiecit, ut quicunq; secundum curatum beneficium, vel dignitatem, aut personatum acceperit, nisi confestim post adeptam secundi quietam possessionem primum reipsa publicis personis præsentibus dimiserit, utroq; sit jure exutus. quæ si nihilominus pertinaciter retinere contenderit, ad aliud quodcunque ecclesiasticum beneficium indignus admitti deinceps judicetur. *extravag. execrabilis.* In religiosis verò clericis, jam tum à Bonifacio VIII. statutum

fuerat, ut si habens Prioratum vel ecclesiam cum cura animarum, aliud quoq; simile accepisset potestate â summo Pontifice non facta, primum ipso jure vacare censeatur. quod si confestim à se non abdicarit, tanquam ambitiosus ab utroq; arceatur, & ampliùs eligi non possit. *c. cum singula. in prin. in 6.* Est tamen sciendum, quod nisi posterioris beneficij fructus percipere possit, constitutionis suprascriptæ pœnæ non erit obnoxius: putà, si illius posterioris beneficij fructus, sicut etiam aliorum vacantium ad certum tempus alicui sint concessi. *c. si tibi concesso. ubi gl. de præben. in 6.* Quæ hactenus diseruimus de beneficiorum exaggeratione à jure interdicta secundùm juris communis regulas procedunt: verùm juris communis observationem relaxat interdum (ubi ecclesiæ utilitatem hoc postulare videt) Sum. Pontifex, vel Episcopus, vel ex personæ meritis, veluti

luti dignitate, integritate, scientia, plurimo rerũ usu, vel etiã nobilitate, indulgendo, ut beneficia plura alicui liceat eodẽ tempore habere. Etsi quidem utrunq; beneficium animarum curam gerat, unius erit hæc authoritas indulgendi summi Pontificis: sin vel utrunq; vel eorum alterum simplex sit, Episcopus quoque gratiam facere poterit, nisi utrunq; in eadem ecclesia existat, imô & si plura sint, quàm duo, sed uni tantùm ex eis cura animarum sit, poterit nihilominus Episcopus indulgere, si ecclesiæ utilitas id suadeat, & causa justa subsit, quod nonnulli extendere volunt, & si duo curata essent, si publicæ utilitatis spiritualis studio magis, quàm personæ meritis ducatur. *Abb. ca. de multa. nume. 19. & ca. extirpandæ. §. quia verò. nume. 43. versicu. ex his sequitur.*

Cæterùm sicut quibus supradictum est modis, sacri canones invigilant, ne uni plura beneficia accumulentur: ita econverso prohibent

ad

ad unum beneficium plures personas admitti: ne vel beneficium hoc modo scindatur: vel eorum unus, aut alter expectet, dum à socio vacet: itaq; ejus mortem optet, *ca. majoribus. ca. tuæ fraternitatis. de præben.* sicut neque duo ejusdem canonicatus, vel præbendæ socij esse possunt. *ca. dilecto de præbend.* Si tamen præbenda ita opulenta sit duobus victum commodè præbere possit, in duas scindi eam licebit. nec Turonense Concilium hoc improbat, quæ si partes sectæ non sufficerent, ambæ essent per sectorem ex præbendis alijs vacantibus augendæ, *ca. vacante. de præben.* earum fructus præbendas sectas habentibus pro parte tribuendo, dum tot fructus ex eis supersint, quot canonico sufficiant. alia enim præbenda attenuari non debet, ut alia locupletetur, *ca. cum causam quæ. ubi Abb. de præben.* nisi necessitate impellente. *c. fi. de verb. sig. c. ex parte. de constit. glo. d. ca. vacante. in fin.*

mag.

*mag. glo.* Si verò aliqua præbenda cathedralis ecclesiæ ita inops sit, ut clerico ad victum oportunum non sufficiat, capella ei annecti poterit, dum ne illius presbyter, & ipse congrua portione defraudetur, si capella utrique satis esse potest. *c. exposuistis nobis.*

Animadvertere autem debet is qui conferendi potestatem habet, ne ex affectu carnali, sed sano & recto judicio Ecclesiasticum officium vel beneficium, & in personam quæ magis visa fuerit idonea locet. Item ut ne qua ex pactione, vel conventione quacunq; conferat, nec sibi retineat ullam redituum portionem, aliove modo beneficium diminuat. Consultius etiam fuerit, si palàm, non clàm beneficium contulerit.

*ca. unico. ut Eccles. benef.*

TITU-

## TITULUS VIII.

### *De Pensionibus.*

ETsi beneficia integra conferri debeant, non diminuta, potest tamen interdum aliqua ex his decessio fieri, ut fructuum portio ab eis detracta alicui suppeditetur: quæ portio pensio appellatur. Eaq; vel in titulum beneficij solet assignari ei, qui ad Ecclesiasticos ordines recipitur, Vel vexationis redimendæ causa quæ Rectori beneficij modo procurata non sit, ab aliquo in judicio infertur, interdum & illi exoluitur, qui suum beneficium alteri cessit, ne interea, dum superstes est, vitam inopem ducat: aliave de causa. Sed & remunerationis gratia alicui nonnunquam constituitur: veluti, si cujus operatus utatur Ecclesia, nec refert an is Clericus, an laicus sit.

Moderatam tamen pensionem esse oportet, ne usque adeò beneficium

cium extenuet, ut ejus Rectori non superſit, unde ſuſtentari valeat. Hinc ferè obſervari ſolet, ut non majorem tertia partem beneficij deducat: id eſt, ut quantitas fructuum, quæ ex beneficio in penſionẽ detrahitur, tertiæ partis annui reditus beneficij onerati ſummam ne trãſiliat, quod eò dictum voluimus, ne cui perſuaſum ſit, poſſe penſionem per quotas aſſignari, id enim ſimoniæ vitio non careret.

Illa quoq; penſio improbatur, quæ per colluſionem conſtituitur: ut cum Rector Eccleſiæ patitur ſibi litem fieri, ut ſub ſpecie litis redimendæ commentitio adverſario aliquam penſionem tranſactionis cauſa promittat ſuper litigioſo, beneficio. Nec is tutus erit, qui pactione priùs inita penſionem obtinuerit, niſi Summi Pontificis ſeſe authoritate munierit.

Ante omnia verò penſionis imponi ullum onus non debet, niſi Antiſtitis accedente authoritate, ſed non

non Pontifex Roman. solùm pensioni excipiendæ author esse potest, verùm & legatus à latere ejus profectus: alius autem Legatus non potest, nisi hoc ei specialiter sit concessum. Item Episcopus pensionem deducere potest, si qua eum justa causa moveat, quæ evidentem ecclesiæ utilitatem importet: dummodo, neq; pensionis transferendæ potestatem eum facere posse, neq; post ejus mortem, cui est concessa, posse eam perpetuare intelligamus.

Item, qui aliquam Ecclesiam erigit, ut patronatum ejus nanciscatur, potest in ejus fundatione pensionem, de beneficio excipere alij Ecclesiæ, aut sibi, Episcopi accedente consensu, quotannis solvendum.

In primis quoque ejus Rectoris consensus exigitur in pensione constituenda, qui id oneris subiturus est: quisquis sit is qui pensionem est impositurus, seu Sum. Pont. seu Legatus,

gatus, seu Episcopus; quod etiam regulis Cancellariæ sanciri solet. Sed neque infante minor, neq; illegitimus, nec Excommunicatus pensionis illius capaces sunt, quæ vel beneficij loco, vel in titulum datur.

Extingui autem potest etiam sola partium conventione, licet nulla Antistitis authoritas accesserit, nisi in alimenta esset constituta, vel pecunia data redimatur, quemadmodum frequenter usurpari videmus, quinque fortè, aut sex, aut septem ad summum anticipatis pensionibus, quibus casibus receptum est Summi Pontificis authoritatem desiderari. *Gig. in tract. de Pensio.*

## TITULUS IX.

### *De jure patronatus.*

QUia Ecclesiæ, quæ alicujus in patronatu sunt, propria quædam ab alijs divisa jura habent, quæ & ipsa necessarium est intelligere, de his

his quoq; quatenus instituti hujus nostri ratio patitur, dicamus. Jus ergo Patronatus (seu advocatione, seu custodiam, seu alio nomine quis illud appeller) est, quod alicui in ecclesia acquiritur, eo quod ipse, vel ejus authores ecclesiam posuerint, ædificarint, vel suis opibus non minimum auxerint, consensu Episcopi adhibito ex quo jure, cum utilitate honor, & onus simul resultant.

Potest autem quis hujusmodi patronatus jura nanciscì, seu laicus sit; seu clericus, (etsi in collegiata ecclesia longè infirmius habeat jus laicus. *c. massana. c. sacrosanct. de electio.*) quicunq; enim vel fundum ecclesiæ ædificandæ largitus fuerit, vel ecclesiam suis sumptibus ædificarit, vel ædificatæ non sordidam dotem dederit, ut hoc jus nanciscèretur, in ipsa ecclesia jus adipiscitur patronatus. adeò, ut si quispiam solus tria hæc præstiterit, soli etiam totum hoc juris

ris integrè quæratur. sin tria hæc munia à duobus vel pluribus divisim obita sint, ambo, vel omnes illius ecclesiæ acquirent patrocinium. Ex quo hæc consequentur, ut ipsi idoneos Rectores in illis ecclesijs Episcopo offerre possint instituendos. quibus si spretis Episcopus alios ibi instituerit, nihil egerit, isque instituendus erit, quem patronus præsentarit, *c. quicunq; c. decernimus. 16. q. 7.* nec desunt alia commoda patronis, qui ecclesiæ fundandæ, vel augendæ suis copijs operam tulerint. nam si fortè ipsi, aut eorum filij eò inopiæ redacti fuerint, ut suppetijs alienis egeant, ab eadem ecclesia præsidium vitæ pro temporis usu percipient. *d. c. quicunq;* Sed & suus honor patrono servatur. nam procedentibus, atq; urbem, vel ecclesiam supplicationum gratia ambientibus ecclesiæ ipsius clericis, primus eximiusq; eo ordine locus patrono debetur. *c. nobis. eo. tit.* Ipse autem

tem patronus ecclesiæ tutelam sic susciperе debet, ut quoad possit, eam ab omni injuria tueatur, & cum presbyterum in ea institutum ecclesiæ non esse utilem cognoscit, quia fortè frugi non sit, sed dilapidator, bonorumq; inhonestus concoctor, Episcopo denunciare debet. *c. filijs. 15. q. 7.* Non tamen credat clericus, qui Ecclesiæ patronus est, sibi licere, ad eam ecclesiam seipsum offerre instituendum, quamvis alioqui valdè idoneus sit, pluribusque meritis adjuvetur: nemo enim se ingerere debet ecclesiasticæ præfecturæ officijs. *c. per nostras. eod. titu.* Neq; habet patronus vendendi jus per se, vel donandi, vel tanquam proprijs utendi rebus juris patronatus: *d. c. quicunque.* nec ullum omnino gravamen ecclesiæ imponere potest, nihilque in ipsa præter antiquos & moderatos reditus à locorum Episcopis institutos exigere. *c. præterea. de jure patro.* nec licet clericis

ricis ecclesias à parentibus suis fundatas propria authoritate retinere: aut laicis vel laicorum filijs concedere. *ca. consuluit.* Sed sicut patroni jura per Episcopum minui non possunt, sic econtra non potest patronus sine Episcopi authoritate jus suum exercere: verùm laicus patronus, qui Episcopi neglecta authoritate clericos in ecclesia instituerit, possessionesve aut alia ecclesiastica bona ex sententia sua liberè distribuerit, anathemate est feriendus. Et clericos qui ecclesiam per laicos sine proprij Episcopi authoritate acceperit, communione privatur. si verò in ea etiam persistere non dubitarit, à ministerio ecclesiastico, & ordine deponetur. *c. præterea. 1. & c. relatum.* Si tamen laicus jus patronatus sibi competens eidem vel alteri ecclesiæ, vel alij loco religioso contulerit, quamvis sine Episcopi assensu, concessio valebit: sed nihil tamen per hoc juri Episcopi

derogatur. Et tunc (quamvis patronus laicus quadrimestre tempus duntaxat ad præsentandum haberet) locus tamen pius, in quem tale jus translatum fuerit semestri potietur, nam (quod ad præsentandi jus pertinet, non laici, cui successit, sed ecclesiasticorum juribus uti conceditur, *c. unico. in 6.*

Episcopi autem jus in faciendis institutionibus adeò firmum & stabile est, ut quamvis jus patronatus ad exemptos perveniret, nihilo tamen magis Episcopi jus debilitetur, *c. cum seculam.* quinimo si Episcopus aliquis sit patronus Ecclesiæ in aliena diœcesi positæ, ipsius sola authoritas non sufficiet, sed ab illius diœcesis Episcopo instituendus erit ille, quem Episcopus patronus idoneum præsentarit. *c. significasti.*

Cum autem patronus quempiam idoneum coram Episcopo instituendum constituerit, si eo non repudiato

alte-

alterum postea æquè idoneum stiterit, uter eorum præferendus sit, judicio Episcopi relinquetur, si laicus sit patronus, si verò collegium aut persona Ecclesiastica jus patronatus habeat, prior tempore oblatus potior habebitur. *ca. si autem.* At si Episcopus idoneum clericum sibi à patrono oblatum admittere noluerit, alterque ab eodem adductus pariter idoneus, & ab Episcopo admissus corporalem possessionem acceperit, melior possidentis erit conditio: quoniam antequam præsentatio per Episcopum admittatur, & approbetur, ratum non est, quod à patrono fuerit inchoatum. *ca. quod autem.* Episcopus tamen, qui virum idoneum ad se à patrono adductum, dolosè recusarit instituere, de beneficio competenti providere illi compelletur. *ca. pastoralis officij. in fin.* Episcopus verò solus etiam illis Ecclesijs providebit, de quarum patronatu contentio cum esset inter

Ecclesiasticas personas, ultra sex menses à vacationis tempore electio rectoris sit dilata: vel ultra quatuor, cum laici essent, qui disceptabant; *c. eam te. c. cum propter laicorum.* ut tamen nullum ex hoc illi in posterum præjudicium fiat, qui superior in lite fuerit, quin ipse eum sistere debeat, quem Episcopus instituerit, & cæteros omnes deinceps, qui in ea Ecclesia erunt instituendi. *c. si verò ordinatio.*

Aliud deinde est jus juri patronatus in multis simile. Sed ab eo tamen etiam in multis absimile: id est, cum religiosi Ecclesiam aliquam sibi subjectam habent, tam quo ad Spiritualia, quàm quo ad temporalia, in qua tamen pleno jure instituere non possunt, nec curam populi committere, sed authoritas Episcopi desideratur, nam hoc jus ita à patronatu differt, quod qui illud habent, ipsi reditus Ecclesiæ illius percipiunt, & congruam portionem Rectori assignant,

gnant. at qui patronatum habent, nihil redituum percipere possunt, sed integri proventus Rectori instituto permittuntur. *c. vn. de Capel. mona. in 6. ubi gl. & cle. vn. de sup. neg. præla. ubi glo. Ab. c. extirpandæ. §. quia verò. de præb.*

## TITULUS X.

### *De religiosis domibus, earumq; subjectione.*

SCiendum est, hoc generale esse, ut quodvis monasterium, vel quælibet ecclesia ei Episcopo subjecta sit, in cujus sita est Diœcesi: nisi ea ecclesia vel monasterium privilegium exhibeat, quo se probet jurisdictioni ejus subtractum. *c. pen. & c. cum venerabilis. de religio. dom.* Nec ideo Episcopi jura in ecclesia suæ diœcesis minuentur, quod illa ecclesia alteri unita sit alienæ diœcesis Ecclesiæ. *c. 2. eod. titu.* Si verò ambigi contingat, cujus Episcopi ea diœcesis sit, in qua extat Ecclesia, & propterea incertum

sit, à quo sit Basilica consecranda, ad illum eundum erit Episcopum consecrationis gratia, qui in eo loco hactenus Episcopalia jura exercuerit. *c. 1. ubi Ab.*

Sunt tamen quandoque Ecclesiæ proprijs privilegijs ab Episcoporum jurisdictione immunes, & solius Apostolicæ sedis ditioni parent. *c. recepimus. c. cum capella. de privileg.* Cæterùm per exemptionem Ecclesiæ concessam, ipsa Ecclesia, & ipsius monachi vel canonici, clerici etiam & conversi perpetuoq; oblati (non autem Ecclesiæ ejusdem presbyter, qui parochianorum curam habet, quo ad ea, quæ ad curam eandem pertinent; nec ipsi parochiani) intelliguntur exempti. verùm si Canonici alicujus Ecclesiæ eximantur, ipsi soli Canonici (non autem ecclesia vel alij ejus clerici) sunt exempti. Si autem clerici cujusvis Ecclesiæ eximantur, tunc tam Canonici, quàm alij clerici eximun-

muntur, non tamen Ecclesia, nisi aliud in exemptionis privilegio exprimatur. *c. per exemptionem. de privile. in 6.* Item quamvis monasterium aliquod exemptum sit, hoc privilegio tamen Capellæ ei subjectæ perfrui non conceduntur. *c. ex ore. de privileg.* Et demum, quibus certæ rei vel loci ratione privilegium exemptionis concessum est, eodem privilegio pro alia re aliove loco non potientur. *c. cum Capella.*

## TITULUS XI.

### *De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris.*

NOn est autem temerè concedendum, ut cuivis liceat suo arbitrio Ecclesias ponere, sed (ut rei tantæ sua dignitas, quantum fieri potest, servetur) certæ solennitates introductæ sunt, quæ præire debeant in Ecclesia facienda. Nam primùm nemo Ecclesiam ædificare debet, an-

tequam Episcopus civitatis eò accedat, & crucem ibi figens publicè atriũ describat: ac priùs ille, qui ædificaturus est, præfiniat quæ ad Luminarium, & Custodum sumptus sufficiant, & demonstrata donatione sic domum ædificet. Qua erecta atrium aqua benedicta aspergatur. *c. placuit. 1. q. 2. c. 1. de consec. dist. 1.* postea per consecrationem Deo ab Episcopo dedicetur cum missæ celebratione. *c. omnes Basilicæ. 1. dist.* Consecratio autem fit superficiei interioris parietum delinitione: cum crucibus. *Ab. c. proposuisti. nu. 7. de consec.* sed oratorium non consecratur, quia ad orandum, non ad celebrandum ædificari solet. *c. fi. de censib.*

Ecclesijs Deo semel sacratis non est iterum consecratio adhibenda, nisi aut incendio, aut alia ruina desecratæ sint; quo casu omnia ex integro agenda erunt, perinde ac si numquam consecratæ fuissent. sed etsi incertum

certum sit, vtrum olim consecratæ fuerint, an id minus, cum nec certa scriptura, nec testes existant, à quibus indubitatè id sciri possit, nihil prohibet eas denuo à Capite consecrari. At cum Ecclesiæ aut homicidio etiam citra sanguinem, aut seminis vel sanguinis humani effusione fœdantur, ea labes vino aqua diluto, & cinere abstergenda est, quæ appellatur reconciliatio. *ca. ecclesijs semel. ea dist. d. c. proposuisti. ubi Ab. & c. fi. eod. tit. & c. solennitates 1. ea dist.* Ecclesia autem non consecrata cujuscunq; seminis fuerit, vel sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavanda est, ne divinæ laudis organa suspendantur. *ca. fi. extra eo.*

Quod autem diximus Ecclesiam post consecrationem pollutam, posse reconciliari, & à macula inusta purgari, etiam de cœmeterio Ecclesiæ intelligendum est: nam, si Ecclesiæ contiguum sit cœmeterium, polluta

Ecclesia & ipsum pollutum erit: nec debebit quis in ea ante absterſionem ſepeliri: quod contra erit, ſi ab eccleſia ſejunctum fuerit cœmeterium, ipſo verò cœmeterio polluto quamvis eccleſiæ annexo, non tamen Eccleſia polluta erit. *c. unico. in 6.* Conſecratio Eccleſiæ etiam privatis diebus fieri poteſt. *c. 2. extra eo.* quamvis ſacri ordines non niſi ſtatutis à jure diebus conferri poſſint, ut ſuprà docuimus: honeſtiùs tamen in diebus feſtivis conſecratio fiet. *habetur in Pontificali.*

Eccleſiam, in qua mortuorum cadavera fidelium ſive infidelium ſepeliuntur, ſanctificare non licet: ſed ſi apta videtur ad conſecrandum inde evulſis corporibus, & raſis parietibus, & tignis ejus loci reædificetur, ſed ſi hæc conſecrata antè fuerit, miſſas in ea celebrare licet, tamen ſi fideles fuerint, qui in ea ſepulti ſunt. *c. Eccleſiam. de conſecra. diſt. 1.*

Non

Non solùm autem Ecclesia, certis solennitatibus sacra efficitur, sed etiam altaria statas solennitates quasdam desiderant in eis consecrandis: nec nisi lapidea sint, consecrari possunt. *c. altaria. ea. dist.* Solennitates sunt hæ, nam post altaris inunctionem Chrismate factam, & benedictionem ei à Summo Sacerdote tributam. *c. uni. §. fin. de sacra. unc. c. altaria. c. placuit. ea. dis.* in facie ipsius altaris vel dextro cornu fenestella aperitur, in qua sacræ sanctorum reliquiæ conduntur unà cum nomine illius Sancti cui altare dicatur, & nomine Episcopi ipsius, qui sacrum facit: quæ fenestella deinde parvo lapide vel quadrato, vel rotundo operitur, qui lapis sigillum appellatur. *Abb. c. 1. eo titu.* Quæ in altari immoto & stabili procedunt, sed & alia altaris forma est, quod portatile, seu viaticum appellatur: quia per diversa loca facilè transferri potest, & itineri etiam

est aptum: estq; lapis paruus foramen habens, & consecrationem, lapide superimposito *Abb. d. c. i.* Possunt etiam plura altaria in eadem ecclesia simul consecrari. *c. cum sis eod. titu.* Altari autem amcto & sigillo fracto & diminuto, denuo id consecrabitur. *c. i.*

## TITULUS XII.

### *De Ecclesijs ædificandis, vel restituendis, vel sarciendis.*

SI quando contingit ecclesias instauratione aliqua egere, putà, ut tecta, aut parietes ruinam minantes sarciantur, vel fulciantur, aut jam lapsi restituantur, subire hoc onus debebit ipsius ecclesiæ Rector, si quarta huic usui à sacris canonibus ex reditibus ecclesiæ assignata non sufficiat, & ipsi Rectori proventus supersint, unde hos sumptus ferre possit, nullaq; consuetudo hoc oneris ad laicos transtulerit. *c. i. ubi gloss. & c. de his. de eccle. ædifican.*

Item

Item sciendum licere interdum in aliena parochia novam ecclesiam ædificare, si publica utilitas id flagitet: veluti, si ita absit parocha ecclesia, ut non facilè animab. curæ ejus creditis, ubi necessitas exegerit, præsto esse possit, ex quo sæpe eveniat, plures animas in periculum adduci, tunc enim ecclesia construi poterit, quæ animab. oportunior sit, & ipsi ecclesiæ veteri jus Rectoris in ea præsentandi unâ cum patrono, qui eam fundaverit, competet. *c. 3. eo. titu.*

## TITULUS XIII.

### *De Renunciationes.*

QUi beneficia, vel dignitates aliquas habent, illas, interdum renunciant; quod cum venia prælati, cui subsunt, facere debent. *c. admonet. extr. eod.* nam si vel prælato inconsulto, vel fortè in manibus laici cujuspiam quis sacerdotium suum abdicarit, nulla erit abdicatio, quod ad

prælati præjudicium attinet, sanè ipsi renuncianti oberit, hoc laico tribuisse, ut in ejus manibus suum beneficium cederet, idemq; ab eo sibi conferri pateretur, nam hoc ipso beneficio erit spoliandus. *c. quod in dubijs.* Puram quoq; & liberam esse oportet renunciationem quæ in manibus ordinarij fit. *c. ex. parte. ubi. gl. & doc. de offic. deleg. c. fi. de pact. ca. tua nos. de simon.*

Quisquis autem beneficium suum semel renunciarit, sciat sibi ad illud repetendum viam esse intercluſam, *c. ex transmissa.* cujus quidem renunciationis vel ex ipsius renunciantis confessione, vel etiam Episcoporum literis indubitatum sumetur testimonium. *c. in præsentia.* Sed etsi nondum cesserit, cedendi tamen à prælato licentiam impetrarit, non licebit ei postea consilio mutato à cessione abstinere, sed à prælato cedere cogendus erit. *c. quidam.* Quod si contigerit eum, qui ultro reddiderit beneficium, denuo

denuo ad illud eligi, nihil ei obstabit olim facta renunciatio, quamvis etiam jurejurando firmata esset. *c. 2.*

Item si quis probaverit, se non ultro, sed coactum metu resignasse, audiendus erit, adstringeturq; reus, qui ei voluntariam exceptionem objicit, in exceptione causam exprimere, qua ad renunciandum actor adductus fuerit. *c. super hoc.*

Si quis amica & benevola canonicorum gratia potiùs quàm literarum Pontificiarum autoritate cupiens beneficium consequi, ipsorum canonicorum arbitrio mitis se submittere dixerit, non propterea videtur literarum Pontificiarum, quas habebat, favorem hac sua comitate repudiasse, nec ei nocebit illiberalis canonicorum contumacia detrectantium literas Pontificias exequi, *c. veniens ad apostoli.* quod etiam certius erit, ubi ex ipsis literis institutio jam secuta erit: tunc enim (quod plus est) etsi

ipsis

ipsis adversarijs literas apostolicas veluti eas abnuens, & canonicorum gratiæ tantùm se submittens, reddidisset: hoc tamen facto institutionis sibi quæsitæ jure ex contumaci adversariorum, & impudenti pertinacia, non privabitur, potuisset tamen illi hoc incautum ejus factum nocere, si nondum institutus fuisset, cum literas Apostolicas prodegit. *c. sanè.*

Item si quis Prælatus, dum Corporis ægritudine oppressus brevi se moriturum suspicaretur, suos subditos absoluerit, ne sibi parere tenerentur, non idcirco tamen præfecturam videtur abdicasse. *c. lectæ.*

Potest episcopus, qui vel persecutionem veritus, vel adversa valetudine, aut insciția deterritus, vel simoniæ vitium (quod clam se in sui commodum, fuerat commissum) perosus, aliave simili causa adductus Episcopatum deposuerat, seq; ad religionem transtulerat, ad episcopatum

tum denuo assumi, quod tamen ei tunc non permitteretur, cum propter suum crimen se ab eo removisset. *c. quod translationem.*

Renunciatio etiam per Procuratorem ad hoc specialiter constitutum fieri potest, & sera erit Domini pœnitentia tunc mandatum revocare volentis, cum procurator animi ipsius ignorans mutationem Prælato non minùs ignoranti jam beneficium reddiderat: nisi vel procurator vel Prælatus dolosè curassent, ne ad se revocationis nuncium perveniret. *cle. unica.*

Non tamen omnibus permittitur officium vel dignitatem suam arbitrio suo deponere, nam etsi episcopus aliquis senectutem causatus successorem sibi dari postulet, non facilè impetrabit, si alioqui ecclesiæ vel necessarius, vel saltem utilis videatur. *ca. 1. extra.* Si quis tamen aperto mortis in discrimine versetur, dum episco-

episcopatus sui administrationem strenuè gerere studet, & in ecclesia sua morari conatur, poterit missionem impetrare: *c. ad supplicationem.* Sed & aliæ sunt causæ, quæ deponendi episcopatus justam tribuunt excusationem, quas Innocen. III. epistola sua ad Arelatensem episcopum dilucidè complexus est: ut tenuis, & malè firma corporis valetudo, conscientia criminis, insciția, si plebi sit invisus, si ei offendiculo, seu scandalo sit, si irregularitatem contraxerit, *c. nisi cum pridem.* Prælatus autem, qui Summo Pontifici immediatè subest, non potest ab alio, quàm ab ipso Summo Pontifice, præfecturæ, quam gerit, vacationem impetrare. *c. fi.*

Qui præbendam suam exilem ideo abdicavit, ut alij noceret, quem præsumebat literatum Apostolicarum autoritate aliam pinguiorem propediem habiturum, nisi hac tenui dolo suo præveniretur, nihil agit,

sed

sed si ipsemet eam majorem in se transferri curaverit, utraque carebit. hinc enim manifesta apparet fraus, quæ tegi non potest. *c. fi. in 6.*

Sciendum est etiam Summum Pontificem renunciare posse. *c. 1. in 6.*

## TITULUS XIIII.

### *De Immunitate Ecclesiarum.*

UT clerici divinis commodiùs vacare possint, advertunt canonicæ leges: ne ulla eis onera per laicos imponi possint, sed ut ab omni gravamine & rributo immunes custodiantur, omniaque eis privilegia indulgeantur, propter quæ ab omni vexatione securi uni Deo omnem operam suam colendo navare possint, quapropter plena personarum, & rerum suarum immunitate à laicis perfrui debent. ideoque ex Concilio Lateranensi sancitum est, ne seculares potestates ullum onus, vel tributum clericis aut ecclesijs imponant, quod

si non

si non servarint, & moniti non destiterint, ipsos eorumq; fautores, à Christianorũ communitate exterminat, ne priùs restitui eos permittit, quàm Clericis eo modo læsis integrè satisfecerint. Permittitur tamen ab eis aliquid percipi, ubi maximam necessitatem, vel evidentem ecclesiæ utilitatem viderint, cui rei secularium facultates nequaquam satis fuissent futuræ. *c. non minus.* idq; cernens Episcopus & Clerus subueniendum ei judicarit. Constitutiones autem & sententiæ contra supradicta factæ inanes, & irritæ esse decernũtur: nec supradicta excommunicationis pœna solutus quis erit, quamvis post legem violatam, pœnamq; admissam officium deposuerit, nisi satisfecerit, eademq; pœna etiam successorem devincit, nisi damnum à prædecessore suo illatum intra mensem restituerit, *c. adversus.* quod cum ab Innoc. 3. in generali concilio statutum esset, ejus con-

constitutionem Alex. 4. constitutione promulgata non modò approbavit, sed etiam amplificavit, ut ex ea percipi potest. *c. 1. de immu. eccle. in 6.* Postea Bonifacius 8. declaravit, leges supradictas contra collegium, universitates, personasque singulares cujusvis dignitatis, aut conditionis extendi, quicunq; ab ecclesijs, aut clericis pro eorum personis aut rebus aliquid vectigalis, vel portorij nomine, seu cujusvis alterius tributi titulo exigere ausi fuerint: pœnamq; addidit interdicti, vel excommunicationis legis violatoribns, *c. quamquam de censib. in 6.* quos ita interdictos, vel excommunicatos publicè pronunciari episcopus curare debet. *cle. præsenti. de censib.* Sed cum ex Innocentiana lege quædam quasi ansa laicis Principibus oblata videretur, clericos & ecclesias expilandi hac ipecie, quod eorum laicorum necessitas postulaset, ut à clericis suppetias exspectarent,

rent, vel quod clerici eas ultro offerrent, atq; ita laici Principes efficerent, ut clerici metu impulsi eorum nutui tamquam necessaria voluntate impulsi obtemperarent, tributa laicis Principibus frequenter pendentes: idcirco, ut huic astutiæ obviam iretur, edixit, idem Bonifacius, ut quicunq; prælati, vel ecclesiasticæ personæ religiosæ, vel seculares cujusvis nominis, vel generis tributum laicis soluerint, aut promiserint absque autoritate sedis Apostolicæ, sententiam excommunicationis incurrant, *c. clericis. de immun. eccles. in 6.* quam Bonifacij constitutionem cum Benedictus XI. declarasset, ad eos non extendi, qui sponte soluissent, aut qui à sponte solventibus accepissent, *extravagan. de immu. eccle.* Clemens V. ut primùm ad sedem Apostolicam assumptus est, decrevit Bonifacij Constitutionem cum declarationibus Benedicti, & quicquid earum causa

causa sequutum esset, revocari oportere, & pro nullis & infectis haberi; utq; omnino Lateranense, & generale Concilium servarentur in his, quæ de hac materia statuerunt *cle. unic. eo. titu.* Hæc quoque inter ecclesiastica privilegia censentur, quod in ecclesiasticis domibus laici judices, neq; judicare, neque hospitium quærere possunt: *ca. 1. de immu.* & præsertim causæ, quibus de sanguine, vel pœna corporea tractatur in ecclesijs vel cœmeterijs agitari prohibentur. *ca. cum ecclesia Dei.*

Item liber homo ad ecclesiam confugiens non est ab ea ad mortem, aliamve pœnam corpoream trahendus, quodcunque crimen patrarit: nisi vel publicus latro sit, vel nocturnus agrorum depopulator, quive itinera frequentata, & vias publicas obsidet, insidijs in viatores paratis: hi enim ab ecclesijs extrahi possunt immunitatis securitate non præstita. *ca. inter alia.*

Eccle-

Ecclesiæ quoq; non consecratæ, quæ propriè Basilica appellatur, dum in ea divina officia celebrentur, eadem immunitatis privilegia tribuuntur, quia divinis obsequijs dedicata nullius est temerarijs ausibus prophananda. *c. ecclesiæ in quæ.* Si quis tamen delicti impunitatem ita se consecuturum sperans homicidium aut membri mutilationem in ecclesia ipsa, vel ejus cœmeterio patrare ausus fuerit, quæ, nisi ab ecclesia in quam confugit, defensum se iri speraſſet, non fuerat commissurus, tam impio homini ecclesia nulli adiumento vel præsidio esse debet: frustra enim legis auxilium implorat, qui eam violat. *c. fin.* Et hæ quidem sunt immunitatum species, quibus ecclesiæ ecclesiasticæque personæ perfruuntur, & si quæ præterea sunt, ex latioribus Decretalium Epistolarum, aut Decretorum voluminibus petendæ sunt.

Non tamen ita plena immunitate

tate perfruuntur, quin & ipsæ interdum aliquid oneris ferre cogantur. nam & à murorum custodijs magna imminente necessitate excusationem non habent, *c. 2.* & onus procurationis, quæ prælato visitanti persoluitur, effugere non possunt: qua de re supra à nobis, quantum ad rem necessarium esse duximus tractatum est. *Sup. titu. de procurat.*

Item si quis ab initio cum ecclesiam fundaret, vel suis opibus locupletaret, ut ejus patrocinium nanciscereturr, aliquos sibi reditus Episcopo annuente ab Ecclesia illa reservarit, non licebit illi ecclesiæ hoc oneris detrectare, *c. præterea quoniam. de jure patro. c. quanto. c. procurationes. de censi.* quod non minùs procedit, si res aliquod onus habens annexum à laicis ad ecclesiam transferatur: onus enim suam rem sequetur, & ecclesiam quoque tenebit. *ib. q. 1. ca. si quis laicus glo. cle. 1. ver. solita de censi.* Decima-

rum quoque Rom. Pont. solvendarum onus ecclesiam interdum adstringit, sed frequentiùs ipsi ecclesiæ à laicis decimæ soluuntur. De quare mox subijciemus.

## TITULUS XV.

### *De Decimis.*

DEcimas à populo Sacerdotibus, ac Levitis esse reddendas, divina sanxit authoritas. *ca. decimas 16. q. 1.* His enim verbis præceptum divinum emanavit: Decimas & primitias non ardabis offerre. *Exod. 22.* sunt enim decimæ egentium animarum tributa, quas si quis dederit, non solùm ubertatem fructuum recipiet, sed etiam corporis ac animæ salutem consequetur. *c. decimæ. 16. q. 1* Et decimæ vel prædiorum, quæ aliquis possidet, ratione debentur, vel propter lucra ex hominis industria & opera quæsita: & hæ personales decimæ appellantur, illæ prædiales. Soluuntur autem decimæ

cimæ de fructu omni prædiorum, de fœno, lana, de proventibus molendinorum etiam eorum, quæ vento impelluntur, de piscinis, apibus, *c. proveniunt. c. nuncios. eo. tit.* vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, de militia, de negotiatione, & de omnibus deniq; bonis: & ad eas solvendas censura etiam ecclesiastica compelli quis potest. *c. non est c. seq. & ca. ex parte.* idque simpliciter & de plano sine strepitu & figura judicij *cle. dispendiosam. de judic.*

Hoc autem differunt decimæ prædiorum à personalibus, quod in decimis prædialibus solvendis nullæ deducuntur expensæ: *c. ex parte. & c. non est. in fi.* nam neque semen, neq; sumptus colendo agro facti ante decimas capi possunt: *c. tua nobis* nec impensæ pro reparanda re factæ ex fructibus, vel pensionibus detrahuntur: veluti expensa domui, aut molendino, aut similibus reficiendis,

vel farciendis: item si sumptu melior factus sit ager, vel vinea: si grex, substitutione in capitum demortuorum loco facta, servatus sit vel auctus: his inquam erogata modis decimas haud quaquam imminuent. *c. pastoralis.* nec famulis, aut mercenarijs mercedes debitæ ante exolutas decimas persolui debent, sed decima fructibus lectis confestim reddenda est. *cur homines.* Quæ verò ex rebus opera, industriaq; nostra, putà ex negotiatione partis debentur decimæ non nisi detractis expensis æstimandæ sunt. *gl. dict. ca. pastoralis. glo. d. c. ad Apostolicæ. vers. personales.*

Personales decimæ ad illam parochiam spectant quæ divina sacramenta ministrat. *d. c. ad Apostolicæ.* Quod si duæ parochiæ inter se certent, quia altera baptismatis sacramentum conferat, altera autem cætera sacramenta omnia, illa potior habe-

habebitur, quæ baptizat. *c. cum contingat. col. 2. in prin.*

Prædiales verò decimæ ad illam parochiam deferri debent, sub qua prædia existunt: quod si ea prædia è celebritate, & frequentia hominum, & ecclesiarum ita remota sint, ut nulli ecclesiæ subesse dici possint, Episcopo decimæ soluentur: consuetudinis tamen, si qua ibi fuerit, non negligetur authoritas. *d. c. ad Apostolicæ. Abb. d. c. cum contingat.*

Laicus certè incapax decimarum censetur. *c. quamvis. c. prohibemus. de decim. c. causam. ubi. doct. de præscr.*

Decimarum quoq; solutio priùs facienda est, quàm census vel tributi: quod si censuum, aut tributorum solutio decimas præcesserint, ab ipsis quoq; tributis, & censibus decima deducetur. *cæ. cum non sit in homine.*

Ecclesiæ quoque ipsæ interdum ad decimas Rom. Pontifici solvendas compelluntur: si pro universalis Ec-

cleſiæ uſibus ſit neceſſarium; quo caſu ſi quis dubitet, de quibus rebus ſolui debeant, diffusè hoc declaravit Bonifacius 8. ſua Conſtitutione, *in extravag. cum. c. unico.* & nonnulla quoque addidit Clem. V. ut ex amborum Conſtitutionibus vobis patere poteſt. *cle. 2. ubi glo.*

## TITULUS XV.

### *Quando, & quibus ſolennitatibus res Eccleſiæ alienari poſſint.*

QUamvis leges Pontificiæ curent, ne clericis facultates idoneæ ab eccleſia deſint, & propterea illis præbendas ſuggerant: ea tamen bona clericorum ipſorum in dominio cenſeri nemo exiſtimet, vel quod illis poſſint ſuo arbitrio uti, & in quoſcunq; uſus transferre: nam præterquam quod ſupra docuimus, quibus nam uſibus ſint illæ facultates deſtinatæ, præterea etiam cavendum eſt, ne alienentur,

tur, ne patrimonium Petri prodiga Prælatorum & clericorum libidine exhauriatur: quo facto inæstimabile damnum ecclesiæ inveheretur, si opes deinde non suppeterent, quibus sublevari possent, qui ministerijs divinis omnem operam suam dicarunt. quapropter ex Concilio apud Sylvanum statutum est, ne cui liceat alienare rem immobilem ecclesiæ, nec mancipium, neque specialis hypothecæ titulo cuiquam addicere. Alienationis autem titulo diffinitum est contineri conductionem, donationem, venditionem, permutationem, & emphyteuticum contractum perpetuum. *ca. nulli. de reb. eccles. non alien.* Et sancitum est Leoninæ Constitutioni subiacere eos, qui hanc concilij constitutionem fuerint transgressi: nempe ut officio priventur, & omne damnum illatum ecclesiæ restituant ipsi qui contractum inierint, aut eorum successores: ta-

belliones autem de alienatione instrumenta conficientes ex eadem Leonina Constitutione relegantur, & judices alienationi autoritatem præstantes bonis & dignitate privantur: *l. jubemus. §. œconomus. C. de sacro. eccle.* quibus Symmachus piæ mem. sum. Pont. addidit, ut si quis presbyterorum, diaconorum, seu defensorum, alienanti prædium ecclesiæ subscripserit, anathemate feriatur: nisi forte & alienator, & qui acceperit, celeri restitutione sibi prospexerint, & liceat præterea quibuscunque ecclesiasticis personis contradicere, & rem cum fructibus alienatam repetere. *c. si quis presbyterorum. extra. eod.* Sed & Clemens V. in Concilio Viennensi constituit. *cle. 1. eo. titu.* ne quis religiosus monasterio, prioratui, ecclesiæ, seu administrationi cuivis præsidens, jura, reditus, aut possessiones ejusdem alicui ad vitam ejus, seu aliud certum tempus, pecunia etiam

inde recepta, quovis modo concedat, nisi necessitas, aut utilitas monasterij, prioratus, Ecclesiæ aut administrationis hujusmodi hoc exposcat, conventus sui, aut (si conventum non habet) prælati proprij assensu accedente. & qui contra hæc fecerit, pœnam suspensionis abofficio eo ipso incurrat: nec ex concessione ipsius recipienti jus aliquod acquiratur, Quod tamen ad locationes, vel etiam redituum, aut fructuum venditiones ad tempus modicum faciendas non extenditur. *d. cle. 1.* Prohibentur item ecclesiæ, earumq; bona immobilia, & jura laicis subigi, absq; capituli consensu, & Romani Pontificis venia, sed omnes contractus quovis sint robore muniti contra hæc celebrati inanes decernuntur: nec impunè abeunt prælati qui hæc fuerint transgressi, & clerici, qui sese non opposuerint: sed & laici, qui prælatos ad hoc compulerint, dignis

pœnis subijciuntur. *c. 1. in 6.* Cum igitur incidunt tempora quibus vel utile est ecclesiæ, vel fortè etiam necessarium alienationem fieri, ei erit consulendum cum totius cleri tractatu, consensu & subscriptione: *c. non liceat. ca. alienationes. ca. sine exceptione. 12. q. 2.* qua forma non servata nullius erit momenti alienatio. *c. 1. in 6.*

Sed longè omnium plenissimè huic rei providit Paulus Venetus. 2. dum sua constitutione, quæ in viridi est observantia, prohibuit omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum alienationem; omneque pactum, per quod dominium ipsorum transfertur: concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem, ultra triennium; nec non infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à jure permissis, ac exceptis rebus & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis (& tunc ecclesiarum evidenti utilitate) dem-

demptisque fructibus & bonis quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia, prædecessorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis alijs super hoc editis in suo robore nihilominus relictis: & decrevit contra hæc facta nullius omnino roboris, & momenti: & tam alienantem, quàm eum qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiæ excommunicationis subiacere. Alienanti verò bona ecclesiarum, monasteriorum, locorumq; piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, aut contra ipsius constitutionis tenorem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, Ecclesiæ ingressum interdicit; qui si per sex menses immediatè subsequentes sub interdicto hujusmodi obstinatis auribus perseverarit regimine, & administratione ecclesiæ vel monasterij cui præsidet in temporalibus, & spiritualibus sit eo ipso

suspensus. Inferiores verò prælati, commendatarij, & aliarum ecclesiarum rectores beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes, prioratibus, præposituris, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officijs, canonicatibus, præbendis, alijsq; ecclesiasticis cum cura, & sine cura, sæcularibus, & regularibus beneficijs, quorum res & bona alienarunt, duntaxat, ipso facto privati existant: illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum ordinarios, & alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis quæ propterea privatæ fuerint) liberè de jure conferri, nisi aliàs dispositioni Apostolicæ sedis sint specialiter reservata, vel generaliter: & nihilominus alienatæ res, & bona hujusmodi ad ecclesias, monasteria & loca pia ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant,

libere

liberè revertantur. *in extravagan. 1. de reb. eccle.*

Non licet etiam Episcopo vel Abbati terram unius Ecclesiæ ad aliam convertere, quamvis ambæ in ejus sint potestate. si tamen eam commutare voluerit, cum ambarum consensu hoc faciat. *ca. 1. eod. titu.* Et permutationes rerum ecclesiasticarum ab antecessore inconsultè factæ, à successore emendari poterunt. *c. 2. de rerum permut.*

Causæ autem justæ ad alienationem rei ecclesiasticæ esse possunt: veluti, si ære alieno ita sit oppressa ecclesia, ut illi exoluendo fructus non sufficiant: si rem alienet, quo meliorem emat: si captivos Christianos redimere velit: aut, si res, quæ alienatur, damno potiùs & oneri sit ecclesiæ, quàm emolumẽto. *Ab. d. c. nulli.*

Sed interdum etsi nulla solennitas in alienatione facienda posthabita sit, ab ea tamen resilire licebit:

ut si grave dispendium ex ea alienatione ferat ecclesia, rescindetur enim tunc alienatio per in integrum restitutionem. *c. 1. eod. titu.*

Sed cum ex supradictis appareat, ne ecclesiasticis quidem personis licere ecclesiasticas res alienare, quo detestabilior est judicanda Principum secularium temeritas, qui falcem in messem alienam injicere, resq; ecclesiasticas prophanis sacrilegisq; manibus contrectare, easq; jure suo, quasi earum domini sint, aliis donare non dubitarint, atq; ita egentium clericorum substantiam rapere, vel qui ab eis hæc petere ausi fuerint: quippe hoc modo tentata, irrita esse omnia ex concilio Lugdunensi jubentur: hocq; impium & temerarium hominum genus à communione ecclesiæ excludi. *c. 2.*

TITU-

## TITULUS XVI.

### *De Peculio Clericorum.*

INquirendum est præterea, si quis presbyterorum de reditibus ecclesiæ, vel oblationibus, vel votis fidelium, alieno nomine res comparaverit, quia quemadmodum suo, ita nec alieno nomine fraudem facere presbyter de facultatibus ecclesiasticis potest; quoniam hoc sacrilegium est: & par crimini Iudæ, qui sacras oblationes asportabat, & furabatur. *c. inquirendum. eo. tit.*

Et qui patrimonij nihil habebat presbyter, quo tempore ad sacrum ordinem promotus est, si postea prædium emerit, ecclesiæ illud acquirit, ad quam inops promotus est. *c. 1.* Idcirco Episcopus res, quas ecclesiæ occasione post consecrationem acquisierit, propriæ ecclesiæ relinquere tenetur. *c. 3.* Et presbyter qui diœcesim tenet, de his quæ emerit, ipsius ecclesiæ

ecclesiæ nomine conficere instrumenta debet, aut ab ea discedere *c. 2.*

*Si* quis sane clericorum agellos vel vineolas sibi parasse sustentandæ vitæ causa probatus fuerit, usq; ad obitum suum ea possidere poterit: sed post ejus decessum ecclesiæ erunt restituenda, nec testamentario, aut successorio jure cuiquam heredum proheredumve relinqui possunt, nisi forsan cui Episcopus propter obsequia Ecclesiæ præstita elargiri voluerit. *ca. fin.*

## TITULUS XVII.

### *De Testamentis.*

NOn alienum fuerit hoc loco breviter etiam de testamentis aliqua retulisse: nam etsi nobis propositum sit hoc volumine ea duntaxat tractare, quæ Pontificij juris propria sint, tamen quia hæc materia secundùm jus nostrum quædam præcepta habet à jure civili discrepantia, neces-

necessarium esse duximus ea quoque demonstrare. sed primùm tamen ab ipsis Jurisconsultis Cæs. diffinitionem mutuemus.

Est igitur testamentum nostræ voluntatis justa sententia de eo quod quis post mortem suam facere voluerit. *l. 1. ff. eod.* In quo condendo quamvis leges civiles majorem testium numerum requirant, jus tamen nostrum ea quoq; testamenta recipit, quæ coram suo presbytero, & tribus vel duabus alijs personis idoneis facta sint: & executionem eis concedit omni consuetudine rejecta, quæ majorem testium numerum desideraret. *c. cum esses.*

Item hoc jure, qui extremam voluntatem suâ in alterius dispositionem confert, non videtur intestatus decedere. *ca. cum tibi.* Nec minùs executionem merebitur testamentum ad pias causas, quamvis per verba enun-

enunciativa ad aliud prolata scriptum sit. *c. fin. de succes. ab intest.*

Sciendum est, Episcopis, Presbyteris, & alijs clericis, qui per hereditatem, vel alium modum, intuitu personæ aliquid acquisierint, donare id licere, cui voluerint, dum vivunt: sin antè obierint, quàm hoc fecerint, altari, cui serviunt, omnia perpetuò consecrantur, & in jus ejus transeunt, si nullos consanguineos habeant. *c. i. eod. titu. de successio. ubi glo.* Hæc de rebus sufficiant, nunc de sacramentis Ecclesiæ tractemus.

# INSTITUTIONUM JURIS CANONICI Liber Tertius.

## TITULUS I.

### *De Sacramentis Ecclesiæ.*

QUia mortalium conditio omnium ita comparata est, ut longè plus caliginis, quàm lucis

lucis nostri oculi habeant in his speculandis quæ non caduca, aut fluxa sunt, sed cœlestia, & æterna: cum tamen ad illa æterna accessus aliàs nobis non patear, quàm si ad ea mente erecta sæpe suspexerimus: propterea, ut imbecillitas nostra quàm maximè fieri potest adiuvetur, & sensim animos attollere, æternaque illa contueri discamus, nec semper mentem humi defixam teneamus, divina authoritate via adinuenta est, qua ex terrestrium rerum oculata inspectione ad earum, quæ supra nos sunt, mente perceptam cognitionem & cogitationem pervenire possimus. Hacque ratione septem ecclesiæ sacramenta instituta sunt, quæ præter id quod (ut modò diximus) supera nos docent suspicere: & efficiunt, ut animus quamvis incluſus in corpore, tamen foras emineat, longè se à corpore abstrahens: sunt præterea tanquam signa & vexilla congregationis illius

illius, quæ ecclesia appellatur, sub quibus in unum fideles congregantur. Sed & aliud nobis conferunt, nam castè à nobis, & incorruptè observata, humilitatis, & submissionis cujusdam in nobis specimen ostendunt: ex quo efficitur, ut dum non dedignamur non rebus infimis earum contemplatione, quæ in eis significantur, pronos & obedientes effingere, æternis digni præmijs apud Deum habeamur: quibus item sacramentis dum nostram operam integrè & sincerè navamus, nosq; in eis exercemus, & animum nostrum agitamus, efficitur, ut otiosi ne sedeamus, multaque malorum semina hoc pacto vitemus. *glo. c. institutio. de consecr. dist. 2. Ab. in rub. de sacram. non inter. in fin.*

Est autem sacramentum, corporeum quoddam elementum extrinsecus cum sensu inflictum, invisibilia, & incorporalia propter similitudi-

tudinem referens, & propter institutionem significans. *Abb. d. rubr. col. 1.* Ideoq; dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. quod cernitur speciem habet corpoream. quod percipitur, fructum habet spiritualem. *c. qui manducat. 1. ea. dist.* Unde à secretis virtutibus, vel sacris sacramenta dicuntur: quia sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretiùs salutem eorundem sacramentorum operatur. *ca. multi. §. mysterium. 1. q. 1.*

Sunt autem hæc septem infrascripta ecclesiæ sacramenta: Baptismus, Confirmatio, Ordo, Eucharistia, Pœnitentia, Matrimonium, & Sacra unctio.

Horum tria prima characterem animæ imprimunt, ideoq; illa iterari nefas est. Alia verò quatuor postrema, characterem cum non infligant, nihil impedit, quin iterari possint. *Ab. d. rub. col. 1. & 2.* Rursus horum sacra-

cramentorum quinq; sunt, quibus non habitis vel neglectis eorumve aliquo, nulla homini salutis æternæ spes esse potest: quare & necessaria appellantur. Alia verò duo, matrimonium, & ordo, quæ & dignitatis dicuntur, *c. remissionem. in fi. 1. q. 1.* liberæ sunt voluntatis unicuique, licet universo ecclesiæ corpori sint necessaria: & tametsi quis hæc nunquam acceperit, animæ tamen salutem, & gratiam divinam sperare potest. De his igitur singulis videamus: & primùm de Baptismo, qui reliquis omnibus janua est & principium. *glo. c. 1. dist. 4. & c. quicunq; 77. dist.*

## TITULUS II.

### *De Baptismo.*

BAptismus tanti est momenti, ut sine eo nemo salvus esse possit, quemadmodum Christi ipsius voce docemur. hoc enim crimen ingenitum abstergitur, quod cœlestem ja-

nuam

nuam nobis obseraverat. Est autem baptismus, exterior hominum ablutio cum certa forma verborum, originarium peccatum delens, *gl. c. 1. 4. distin. de consecratio. Thom. l. 4. senten. dist. 3. q. 1.* & longè majorem utilitatem affert baptismus, quàm olim circumcisio afferret: quippe per baptismum renatus ianuam sibi cœlestem reseratam invenit, quæ circumcisis occlusa erat, quamvis culpa ingenita eis per circumcisionem ipsam remitteretur. *c. majores. in princ.* Et duplex est baptismus: solennis, & simplex, ille multas cæremonias exigit præter verbum Dei, & aquam: nam & catechismos, & exorcismos, & multas preces, multasque alias solennitates desiderat. hic autem in casu necessario in usu esse solet. præcipua autem in hoc sacramento verba sunt hæc: Ego te baptizo. addito sanctissimæ Trinitatis nomine. *c. 1. & de consecr. distin. 4.*

Et

Et quamvis hoc munus baptizandi sacerdotum proprium sit, tamen & laicus rectè & utiliter necessitate exigente baptizare poterit, nec, si hæreticus, vel paganus, aut Judæus baptizarit, dummodo debita materia, forma & intentione utatur, sacramentum repetendum erit: cum non dignitate ministri, sed virtute verbi divini, & Spiritus sancti constet. *c. in necessitate. cum sequen. ea. dist. 4.* Sed quamvis hoc sacramentum iterandum non sit, si de aliquo tamen ambigatur, an sit baptizatus, nec ne, poterit ei baptismus hujusmodi verbis conferri: si baptizatus es, te non rebaptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo. addito Trinitatis nomine *c. 2. eod. titu.*

Nemo tamen seipsum baptizat. At quicunq; presbyter commendatum sibi ægrum baptizare neglexerit, adeò ut ille sine baptismo è vita decesserit, ab officio deponendus est. *d. c. in necessitate. cum seq.* TITU-

## Titulus III.

### *De Confirmatione.*

Post Baptismum, Confirmatio quoque est Christiano adhibenda, qua undequaq; munitus sit, tanquam duplici thorace adversus maligni hostis insidias: ita enim fit, ut per baptismum genitus, postea per hoc sacramentum enutriatur, & crescat, & per virtutem Spiritus sancti confirmetur: quod olim impositione manuum duntaxat celebrabatur, hodie ex Apostolorum traditione chrisma quoq; adhibetur cum impressione signi sanctæ crucis, ut externo signo intima unctio, quam Spiritus sanctus efficit, significetur. hinc septiformis Spiritus sanctus hoc sacramento accipitur, spiritus sapientiæ & intellectus. spiritus consilij & fortitudinis. spiritus scientiæ,& pietatis, ac timoris.

Minister autem hujus sacramenti

est Episcopus, quamvis cæteras unctiones etiam simplex presbyter valeat exhibere, *c. uni. §. frontis. de sacra unct. c. quanto. de consuetud.* nec nisi jejunis & à jejunis ex honestate confertur, exceptis infirmis, & in tenui discrimine lethi positis, *c. ut episcopi. de consec. distin. 6.* nec iterandum est. *c. dictum est. ea. dist.*

## TITULUS IV.

### *De Pœnitentia.*

CUm homines per baptismum renati sunt, sæpe in gravia crimina labuntur, quibus ne opprimantur, instituit Christus sacramentum pœnitentiæ, quod post baptismum sit nobis tanquam secunda tabula in naufragio, *c. secunda. de pœnitent. dist. 1.* cujus ope à lapsu nos erigere possimus, *c. 1. in fi. de sum. Trin.* si nostra vulnera criminibus contracta medico, id est, sacerdoti nudaverimus debita cordis compunctione, in

corde

corde enim si adsit contritio, in ore confessio, in opere satisfactio, sacramenti hujus vis operatur, quæ in absolutione sacerdotis consistit. illi enim soluendi & ligandi potestas divinitùs data est, quam non poterit utique cum judicio exercere, hunc pro meritis soluens, illum vinciens, nisi ex peccatorum enumeratione proprio ore facta, etiam criminum occultorum notitiam habeat. *c. voluissent. de pœniten. dist. 1.*

Sed quia parùm fuerit sacramenta esse instituta, nisi etiam cura adhiberetur, ut hi quorum utilitati eorum inventione & institutione prospectum est, ea non recipientes dignam mercedem habeant: idcirco in Concilio generali Innoc. sancitum est, ut quilibet Christianus, ubi ad annos judicij pervenerit, quolibet anno hoc se sacramento exerceat, sua crimina proprio sacerdoti aperiendo, nisi à Christianorum communitate

repelli velit, & ab ecclesiæ ingressu arceri, & post mortem ecclesiastico sepulchro interdici. quo concilio etiam pœna sancita est adversùs sacerdotem, qui peccata sibi pœnitentiæ causa retecta quovis modo prodiderit. *c. omnes utriusq; sexus. extra. eod.*

## TITULUS V.

### *De sacramento Eucharistiæ.*

UBi homo pœnitentiæ ope à lapsu exsurrexerit in domino, tum verò ei cavendum est, ut in bono perseveret ac crescat, quem ad usum instituit Christus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, sub visibili specie panis, & vini, quæ verum Christi corpus & sanguinem nobis præbet, quo quidem sacramento nullum majus esse potest, nec ulla potior oblatio. *c. nihil. de consec. dist. 2.* cujus forma in illis verbis solennibus, consistit, quæ Christus nobis reliquit.

Nemo autem illud facere potest nisi

nisi sacerdos, qui rite sit ordinatus, secundùm claves ecclesiæ, quas concessit Apostolis, eorumque successoribus Christus. *c. 1. de sum. Trin. §. penul.* Illud autem sumunt vel illi ipsi qui id fecerunt, id est, sacerdotes. aut alij, sive laici, sive sacerdotes quibus per sacerdotem alium propinatur, sumunt verò ipsi sacerdotes, dum missam celebrant, nam quotiescunque sacerdos sacrificans, corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altari immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi participem se præbeat, nisi ab ipsa communione annum velit esse suspensus. *c. relatum. in fi. de consecr. dist. 2. & c. seq.*

Missæ autem celebrationem Iacobus frater Domini, & Basilius Cæsarienſis adinuenerunt. *c. Iacobus. de consecr. distin. 1.* Eaque non debet nisi à jejunis celebrari, *c. sacramenta. ea. dist.* nec nisi una missa à quovis sacerdote,

una eademque die, si justa causa non subest celebrari potest, die Nativitatis Dominicæ excepta. *c. sufficit. ea dist. c. 3. de celeb. missar.* Qui verò pecunia inductus, vel adulationibus secularium plures eadem die missas celebrare non formidarit, hic non creditur damnationem evadere. *dict. ca. sufficit.* Caveat verò sacerdos, ne dum missam celebrat, & sacramenti mysterium facere simulat, suppressis verbis solennibus, quibus sacramentum conficitur, panem & vinum inane tantummodo sumat: dum fortè veretur missam celebrare, quod se sciat lethali crimini obnoxium: & eam tamen propter aliquam necessitatem intermittere non potest nam etsi levis non sit ejus noxa, qui criminis gravis sibi conscius sacramento impudenter sese ingerit, longè tamen gravius crimen illius existimandum est, qui prædicto modo aliud agere, aliud simulare non formidarit.

ille

ille enim Deum solum: hic & Deum & populum lædit, & quod in se est, ludit. *c. de homine. de celeb. missa.*

At laici sacramentum de manu eorundem sacerdotum expectant, & clerici presbyteris inferiores. nemo enim illud ministrare debet excepto presbytero: adeò ut presbyter puniatur, qui per alium ægro sacramentum ministrat. *c. pervenit. de consecr. dist. 2.* Sed quamvis olim quilibet Christianus ætatis legitimæ ter in anno sacramentum assumere juberetur, id est, in festo Paschatis, Pentecostes, & Natalis Dominici: *c. & si non frequentius. ea. dist. Ab. d. c. omnis utrusq.* hodie tamen quia decrescente fidei fervore ægrè hoc observabatur, ex concilio generali sancitum est, ut quovis anno saltem semel, idque in Paschate Resurrectionis ad hoc convivium quilibet accedat, delictorum confessione præmissa: alioquin ecclesiæ ingressu, & ecclesiastica sepul-

tura prohibeatur, nisi proprij sacerdotis consilio legitima de causa id distulerit. *dict. c. omnis utriusq.*

Hoc autem sacramentum non nisi jejuno stomacho regulariter suscipi debet. *c. liquido. de consecr. dist. 2.* Consultiusq; faciet si etiam à propria uxore tribus saltem diebus antè, totidemq; post se continuerit. *c. omnis homo. ea. dist. ubi. glo.* Presbyter curet sacram Eucharistiam ad omnem ægri cujusq; repentinam necessitatem semper paratam habere, ne sine ea ægros mori contingat. *cap. presbyter. ea. dist.* Et diligenter observetur, ut in cunctis ecclesijs Chrisma, & Eucharistia sub fida custodia clavibus obsignata serventur, ne ad illa queat temeraria manus extendi ad aliqua nefanda patranda. Si verò is, ad quem spectat custodia, noctes, diesque stertens ea incautè reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendendus erit, ac si propter ejus negligentiam ali-

aliquod nefas inde contigerit, graviori etiam subdendus est ultioni. *c.1. de cust. euchar.*

## TITULUS VI.

### *De sacra Unctione.*

NOn est etiam omittendum sacræ unctionis sacramentum, cujus duæ sunt species: exterior & interior. illa, quæ materialis est, & visibilis, inungit corpus. hæc quæ spiritualis est, & invisibilis, inungit cor. *c. 1. §. 1. de sacra unctio.* hæcq; per illam exteriorem significatur.

Ungitur ergo quilibet Christianus, primùm in baptismate bis: oleo quidem catechumenorum priùs ante baptismum, mox chrismate ante solennia baptismi peracta. ungitur etiam chrismate, dum confirmationis munus accipit: quod non nisi ab Episcopo impendi potest, quamvis cæteræ unctiones per quemvis presbyterorum fieri possint. ungitur demum,

mum, cum infirmatur, ut & corpus & anima ſerventur. quæ unctiones cuivis Chriſtiano communes ſunt: aliæ verò non omnibus conceduntur. Epiſcopus enim chriſmate caput, manusq; inungitur. ungitur altare dum conſecratur. templum cum dedicatur. calix cum benedicitur. Item ungitur Princeps ſecularis in brachio, ſeu in humero, vel armo. non in capite, ut olim. *toto tit. de ſacra unctio.*

## TITULUS VII.

### *De Sacramento Ordinis.*

QUia ſuprà libro primo ſatis docuiſſe arbitramur, qui ſint clericorum ordines, ſuperfluum exiſtimamus hic circa ſacramentum ordinis pluribus inſiſtere: quod ſacramentum inſtitutum eſt, cum ſigno impoſitionis manuum, alijsq; ritibus ſolennibus. quamvis enim Chriſtiani omnes ſint ſacerdotes, ut ſpiritales hoſtias, id eſt, ſemetipſos Deo offerre,

ferre, & nomen ejus laudare, & utiliter invocare in omni loco possint: non omnes tamen sunt ecclesiæ ministri, sed jam inde ab ecclesiæ initio selecti sunt quidam, qui muneribus ecclesiasticis fungerentur: & hi in novem classes distincti sunt, quas suprà libro primo recensuimus. quamvis Theologi infimam & supremam classem inter has non recenseant. Hoc autem sacramentum verbis Christi nititur pluribus locis repetitis, & duplicem potestatem confert, ordinis videlicet & jurisdictionis. sub quarum altera cadit verbi divini ministerium, administratio sacramentorum, & ecclesiarum ordinatio ad ædificationem. sub altera potestas excommunicandi, & pœnitentes absolvendi.

## TITULUS VIII.

### *De sacramento Matrimonij.*

MAtrimonium est sacramentum quo vir unus [illegible]

perpetuo, & indissociabili vinculo conjungantur. duæ etenim Christiani matrimonij leges præcipuæ sunt, altera, ut sit inter duos tantùm, id est, unius viri, & unius mulieris conjunctio: & neutri eorum liceat corporis sui tertio potestatem facere. altera, ut hæc conjunctio sola alterutrius morte dissolvatur. etsi enim lege antiqua repudium non prohiberetur, id tamen illis populis durissimi cordis Moses permiserat, graviùs ducens uxorem occidi, (quod in illis metuebatur) quàm odij causa dimitti. quod hodie cessante jam illa tanta duritie minimè necessarium existimatur: at quod dicitur, uxorem ob fornicationem dimitti posse: non sic est exaudiendum, quod propterea matrimonij vinculum scindatur, sed duntaxat thori & mensæ consuetudo separatur: quare adulterij reus erit, tanquam alienam contrectans, quisquis sic dimissam duxerit.

Causæ

Causæ autem contrahendo matrimonio, vel jam contracto adversantes hæ ferè solent hoc jure enumerari. In primis votum solenne contrahendum impedit, & contractum divellit. simplex autem votum contrahendo quidem obesse potest, non contractum dirimere, *c. 1. & fin. qui cleri. vel vou.* Item duo quorum alter sit Christianus, alter infidelis se invicem matrimonio copulare non possunt. *ca. cave. cum sequen. 28. q. 1.* Error quoq; quo conjugum alter ducitur, dum vel in persona conjugis labitur, credens, gratia exempli, esse Corneliam, quæ Sempronia erat, vel quo in conjugis conditione decipitur, existimans ingenuam esse, quæ serva erat, solet nuptiarum validitati officere. *c. proposuit. ubi Ab. de conjug. ser.*

Item cognati & affines nuptias inter se contrahere prohibentur. & cognatorum quidem per lineam rectam inter se conjunctorum prohi-

bitio perpetua est, nullo certo fine concluſa: eorum verò, qui ex tranſverſo gradu cognationis junguntur, prohibitio ultra quartum cognationis gradum non protenditur, & cum diſpari in gradu ſunt, remotior ſpectatur gradus. *c. fin. de conſang. & affin.* Cum autem tres ſpecies cognationis ſint, ſcilicet carnalis, & legalis, & ſpiritualis, quæ ſcilicet contrahitur per baptiſmum, & confirmationem, quælibet harum matrimonium impedit, & infirmat, licet diverſis modis, ut infrà docebimus. Cognatio autem legalis dicitur, ut ſi qua per adoptionem mihi ſoror eſſe ceperit: nam quamdiu durat adoptio, inter me & ipſam nuptiæ conſiſtere non poſſunt. *c. unico. de cogn. leg.* Affinitatis autem ratio in primo duntaxat genere habetur, non in ſecundo, nec in tertio: quod in Concilio generali Innocentiano ſtatutum fuit, cum antea & ſecundum & tertium affinitatis genus nu-

nuptias impediret, & irritaret. ea autem prohibitio ultra quartum gradum non provehitur, cum ante illud Concilium ad septimum usque gradū extēderetur. *c. non debet. ubi gl. & doct.*

Item ex his quæ paulò suprà à nobis tradita sunt, constat, eum qui jam uno matrimonij jugo premitur, alterum subire non posse. quo fit, ut si quis cum duabus mulieribus verbis præsentem actum significantibus matrimonij contractum inierit, eorum prior sola futura sit uxor, & posterior dimittenda, quamvis cum ea se jam immiscuisset. *c. 1. & 3. & fin. de sponsa. duo.* Eadem ratione, & qui uxorem ducit eam, quam alter sibi desponsam verbis præsentibus habuerat, eam dimittere cogendus, pœnitentiamq; subire. *c. 2. de sponsa. duo.*

Publicæ quoque honestatis justitia nuptijs obesse solet: putà, si consanguineus meus cum aliqua muliere sponsalia tantùm contraxerit, quamvis

vis nondum præsentibus verbis confirmatum sit matrimonium, mihi tamen sponsi ipsius consanguineos collocari matrimonio propter honestatis quandam publicæ rationem prohibetur: quod non minùs locum habet, quamvis illa sponsalia consanguinitatis vel affinitatis, aut frigiditatis, aut religionis, aliave ratione essent nulla, dummodo eis consensus non deesset. si quis verò sponsalia sub conditione contraxerit, si ante conditionis eventum cum alia prioris consanguinea per verba præsentia contraxerit, cum secunda remanere tenebitur, nam ex sponsalibus sub conditione initis, ante conditionis eventum, tanquam incertis, & puro consensu carentibus, nulla publicæ honestatis justitia oritur. *c. juvenis. c. ad audientiam. de sponsal. c. uni. eo. titu. in 6.*

Item non potest quis eam uxorem habere, cujus ope ejusdem maritum interfecerit. *c. 1. de convers. in fi.* nefa-

nefariæ enim habentur nuptiæ, quibus conciliandis mariti prioris sanguis & vita præmij quodammodo nuptiarum loco petita fuerint. Quo exemplo nec quis eam ducere potest uxorem, quæ in prioris uxoris ipsius necem aliquid fuerit machinata, sive ei fidem dedisset, se eam priore defuncta ducturum, sive non, quæ prohibitio perpetuò est servanda. *ca. super hoc. de eo qui duxit in matri. quam polluit.* Item non valet matrimonium cum ea, quam per adulterium polluit, sciente contractum. *c. 1. & 2. ubi Abb. de eo. qui dux. in matri.* Cum ea quoq; matrimoniũ non consistit, cujus consanguinea ego olim potiusim. *c. 2. de eo qui consang.* Et qui cum privigna sua sciens fornicatus fuerit, nec à matre debitum thori exigere, nec filiam unquam habere potest uxorem. imò nec privigna, nec ipse ullo unquã tempore alij se poterunt matrimonio copulare, nisi fortè juvenilis eorum

calor

calor mereretur, ut dispensatione cum eis ageretur *c. 1. de eo qui cogno.*

Item qui debitum carnis reddere non possunt, matrimonio apti non sunt: quare nec impuberis ullum erit matrimonium: impuberem autem eum vocamus, qui ex habitudine corporis pubertatem præ se non fert, nec generare potest. *c. impuberes. de desponsa. impub.* Et quilibet impotens repellitur. *ca. 2. de frigi. & malefici.* quod tam in muliere, quàm in viro procedit. *c. fraternitatis. eod titu.* & hoc contractum etiam matrimonium dirimere valet. Sed quia potest evenire, ut qui à principio impotens videbatur, potens deinde ex cursu temporis efficiatur, ut hæc quoq; res suos fines habeat, ultra quos omni spe jam consumpta alteras nuptias contrahere possit is, qui nullum impedimentum patitur, si frigiditas citiùs probari non potest, statutum est, ut conjuges triennio simul habitent à con-

jugij

jugij celebrati die: quo triennio lapso, si alterius impotentiam adhuc subesse fuerit probatum, licebit alteri à tali conjuge discedere, aliumque sibi matrimonio jungere. sin ambo simul habitare consenserint potiùs quàm divertere, fratris & sororis loco potiùs sibi invicem, quàm conjugum erunt. *ca. laudabilem. de frigid.*

Atq; ut cæteris negotijs, curisq; vacui majorem diligentioremq; operam certis temporibus orationibus, pijsque alijs operibus navare possimus, statutum est etiam, ut illis temporibus, quæ divino cultui potissimùm dedicata sunt, nuptias contrahi quodammodo nefas habeatur: nempe à septuagesima usque ad octavam Paschatis: & à tribus diebus rogationum, usque ad octavam: & per totum Adventum. *c. capellanus. de fer.*

Item matrimonium contrahere prohibentur hi, quibus ecclesia, ne contraherent, justis rationibus interdixe-

dixerit. *toto. tit. de matrimo. contr. con. inter eccle.* Et cum matrimonia libera esse oporteat, satis constat, vi contractum matrimonium nullius roboris haberi, nisi copula liberè subsequuta. *c. ad id quod. & c. consultationi tuæ. ubi. gl. 2. & Ab. de sponsal. c. insuper. qui matr. accus. non po.* hinc fit, ut pœnæ promissio in matrimonijs nullam obligationem pariat. *c. gemma. de sponsal.* Furiosus quoq; matrimonium contrahere non potest, quia legitimum consensum præstare nequit, nisi dilucida intervalla tunc haberet. *c. dilectus. de sponsal.* Item conditionibus contra matrimonij substantiam appositis, tale matrimonium non consistit: putà, ut proles vitetur: vel donec nuptiæ digniores inveniantur: vel ut conjunx quæstum turpiter faciat: aliæ verò conditiones turpes, aut impossibiles matrimonium non vitiant, sed reijciuntur tanquam non adjectæ. *c. fi. de condi. appos.*

Si

Si qui contra supradicta præcepta matrimonium inierint, (ubi perpetuum subest impedimentum) nihil agunt: & ubi consanguinitas, vel affinitas subesset, vel cum monialibus, aut religiosis, aut cum sacratis clericis initum esset, excommunicationis sententiæ ipso jure illigati essent, qui tale matrimonium contraxissent: eosq; ecclesiarum Prælati sic excommunicatos publicè pronunciare debent, aut suis subditis, ut notum id publicè faciant, jubere, donec errore cognito se separarint, & absolutionem impetrarint. *cle. un. de consang. & affin.* & proles ex talibus matrimonijs suscepta prorsus illegitima habetur; quæ pœna etiam in clandestinis matrimonijs servatur. *c. 3. §. si verò. de clandest. despon.* aliæq; pœnæ statutæ sunt, quas aliunde cognoscere quis potest. Sed & sacerdos parochus, qui hujusmodi conjugationibus obviam ire neglexerit, & quilibet regularis,

laris, qui eis interfuerit, per triennium ab officio suspenduntur, graviùs etiam puniendi, si culpæ qualitas postularit. *c. fi. §. fin. de clandest. despon.*

Altero autem conjugum morte sublato, ubi certum nuncium de hoc fuerit allatum, superstiti licebit ad alias nuptias transire. Nec mulierem infamiæ metus deterreat tempore luctus à Cæsareis legibus nubenti præfixus. *ca. Euthæmium. §. 1. 2. q. 3.* In secundis nuptijs etsi conjugum alter duntaxat bigamus sit, neutri tamen eorum à presbytero benedicendum est. Presbyter hæc præcepta non observans ab officio, & beneficio suspenditur. *tot. titu. de secun. nupt.*

In causis super matrimonijs vertentibus, vel eas quoquo modo tangentibus, proceditur simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura judicij. *cle. dispendiosam. de judic.*

TITU

## TITULUS IX.

### *De Sponsalibus.*

ADmonet nos tractatus de matrimonio modò à nobis habitus, ut hoc loco aliquid etiam de sponsalibus dicamus. quæ licet matrimonium in contrahendo præcedant, nos hic tamen idcirco postponenda existimavimus, ne matrimonium à cæteris sacramentis hoc titulo interposito divideremus.

Sunt igitur sponsalia mentio & repromissio futurarum nuptiarum, & à spondendo dicta sunt: nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras, unde & sponsi, sponsæque appellatio nata est. *l. 1. 2. & 3. de sponsal.* eisq; constituendis, vel nudus consensus sufficit. *l. sufficit ff. de sponsal. cap. sufficiat 27. q. 2.* Unde qui de matrimonio contrahendo purè & sine aliqua conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & omnibus modis

dis inducendi: ut præstitam fidem observent, si autem se invicem admittere noluerint, (ne fortè pejora inde contingant) ut eam scilicet ducat, quam odio quis habet, videtur, quod ad exemplum eorum, qui societatem fide interposita contrahunt, & postea sibi invicem remittunt, hoc possit æquanimiter ferri. *c. 2. eod. titu.*

Ex sponsalibus, (ut etiam titulo superiore docuimus) oritur publicæ honestatis justitia, si purè contracta sint, & consensus non defuerit, quamvis alioqui frigiditatis, consanguinitatis, vel affinitatis impedimentum nuptijs obstaret. *c. 4. c. juvenis. c. ad audientiam. eo. tit. & c. 1. in 6.* Si verò sponsalia etiam carnis commixtio fuerit subsecuta, jam matrimonium juris interpretatione censebitur, at si duntaxat ad copulam enisi fuerint, nec perfecerint quod cupiebant, ex hoc haudquaquam matrimonium censebitur contractum. *c. antepenul. & c. fin.* Illud

Illud non ignorandum est, sponsalia ad futuras nuptias præparandas tanquam exordium præmissa (etsi jurata etiam sint) per aliud tamen matrimonium præsentibus verbis perfectum dissolui. *c. sicut ex literis.*

Ætas sponsalibus contrahendis apta est post septem annos.

## TITULUS X.

### *De desponsatione impuberum.*

QUia circa impuberum sponsalia, quædam jura præcipua servantur, idcirco de his hoc speciali titulo, quàm brevissimis verbis poterimus dicendum est. Impuberes igitur matrimonium contrahere non possunt, quod etiam superiore titulo docuimus. & impuberes dicuntur, qui proprer ætatem generare non possunt. magnæ tamen alicujus necessitatis causa, putà pacis conciliandæ, quandoq; talis conjunctio concedi solet. *c. 2.*

Sponsalia quidem impuberibus, dum septennium excesserint, ut etiam suprà diximus, habere licet: à quibus tamen, ubi ad pubertatem uterque pervenerit, poterunt discedere: sed si eorum alter id ætatis maturius attigerit, alterum tamen, quoad ille etiam eò ætatis pervenetit, præstolari erit necesse. Sin eorum alter jam tum, cum sponsalia facta sunt, matrimonio maturus esset, non licebit ei à sponsalibus discedere, nisi & ejus consors pubes factus in id consenserit. *c. de illis.* nihil suffragante callida verborum interpretatione, ut inter impuberes matrimonium consistere possit: adeò, ut quamvis hujusmodi verba emanarint, quibus præsens matrimonium significetur, sponsalia tamen dumtaxat efficiantur. *c. fin.* nec quicquam proderit, quod impuberes hi sponsalibus contractis ad carnis copulam sint enisi. *c. attestationes.*

Quemadmodum autem ab impuberi

puberibus matrimonium contrahi non potest, ita etiam ab infantibus sponsalia contrahi prohibentur, cum eorum nullus sit consensus: quare ab his contracta sponsalia ne publicæ quidem honestatis justitiam parient, *c. literas.* quod etiam suprà docuimus: nec ætate justa superveniente quicquam eis roboris accedet, nisi per cohabitationem, & consuetudinem eorum mutuam, aut aliud factum vel verbum eorum aliquod appareat, eos in eadem voluntate majores septennio factos perseverare, *c. uni. in princ. in 6.* quo tamen casu per subsequens aliud matrimonium solui poterunt. *cap. duo pueri.* Planè si major septennio minorem septennio duxerit uxorem, & ad se traduxerit, ex hoc publicæ honestatis justitia orietur. *cap. juvenis.*

Porrò ex sponsalibus, quæ parentes pro filijs puberibus, vel impuberibus contrahunt, filij sive tacitè sive expressè consenserint, obligantur, &

ex eis publicæ honestatis justitia oritur. *c. uni. in fi. in 6.*

## TITULUS XI.

### *De Divortijs.*

QUod diximus suprà, divortium hodie jure divino prohiberi: de matrimonijs secundùm leges canonicas contractis intelligendum est. matrimonia verò legibus canonicis interdicta, non dubium est, quatenus de facto processerint, retractari: quos casus ferè suprà recensuimus, quæ tamen dissociatio absq; judicio ecclesiæ fieri non debet. *c. 3. eod. tit.*

Item cum mulier viro absente, cujus de morte falsum nuncium acceperat, alteri sese copulavit, eo pòst reverso quem mortuum falsò crediderat, posteriore matrimonio dimisso, ad prius quàm citissimè redire est compellenda. *c. 1. 2. & 3. 34. q. 1.*

Item si conjugum infidelium alter ad Christum convertatur, altero in-

in vetere errore perseverante, & vel cohabitationem detrectante, vel blasphemiæ causam præbente, poterit ad alias nuptias absque ecclesiæ licentia transire. *c. quanto.*

Illo quoq; casu divortium permittitur, cum diversæ religionis homo, qui ex sua lege plures uxores habebat ad nostram postea religionem melioribus auspicijs migrans, cæteras omnes præter primam dimittere compellitur ex nostræ legis præceptis, vel ad primam redire quam alia superducta repudiaverat. *c. gaudemus.*

Sed si contingat conjuges Christianos quandoq; à se invicem separari ob alterutrius fortè adulterium, vel aliam similem causam, non tamen id propriè erit divortium, quia matrimonij vinculum solutum ex hoc non est, unde neuter eorum altero superstite alias nuptias experiri potest. quod & suprà nos scimus docuisse. *c. supra. de matri.*

## TITULUS XII.

### *De Conversione conjugatorum.*

ETsi religionis causa semper & ubique præcipua sit, non tamen sic ei favent jura Pontificia; ut matrimonia legitimè contracta altero conjugum invito hac causa dirimi concedant: neq; enim vult Deus tale lucrum cum tali dispendio compensare. Quare, si conjugum alter sine alterius consensu religionem fuerit ingressus, poterit ab altero ad thori consortium retrahi, nec tamen matrimonio alterius morte soluto, ad monasterium redire compelletur, quamvis in cœlibatu eum posthac vivere oporteat. *c. quidam intravit.* Sed & si vir consensu per metum vel dolum ab uxore extorto religioni se devovisset, uxori petenti esset nihilominus restituendus. *c. accedens. ubi Ab.* si tamen carnis copula inter conjuges nondum intercesserit. quamvis præsenti-

sentibus verbis matrimonium esset contractum, poterit conjugum alter etiam altero invito ad monasterium transire: & alter in seculo remanens etiam alteris nuptijs operam dare, si continentiam monitus non servarit, cum nondum una caro effecti essent. *c. 2.*

Sed ne hoc veluti commento opportuno ad nuptias deludendas post jam præstitum consensum abutantur, erunt partes Episcopi certum terminum cautione idonea recepta præfigere illi, qui à matrimonio ad monasterium transire se velle dixerit, intra quem vel religionem ingrediatur, vel in cõjugio constans sit. *c. ex publico.*

Poterunt etiam post confirmatum, & consummatum jam matrimonium conjuges pariter concordes monasterio se dicare, vel alter eorum altero continentiam vovente, cum suspicio nulla subesset, ne integrè eam esset servaturus. *c. cum sis.* Unus est

casus quo vel renitente uxore maritus se religioni addicere potest: cum videlicet uxor adulterij rea est etiam sub matrimonij specie contracti. 6. constitutus.

## TITULUS XIII.

### De gradibus cognationum.

NUnc videamus quemadmodum gradus cognationis naturalis numerentur. Et primùm admonendi sumus, cognationem aliam suprà numerari, aliam infrà, aliam ex transverso. Superior cognatio est parentum: hoc enim vocabulo generaliter omnes appellare licet, qui per directam lineam ascendunt, quotcunq; personis, seu gradibus à me distent. Inferior cognatio est liberorum, quæ vox omnes continet, quicunq; à me descendunt, quotuscunq; gradus inter me, & ipsos interjectus sit. Ex transverso autem cognati sunt, qui cum à parentibus meis, & ipsi oriantur,

tur, in me tamen non influunt, neq; ego in illos, sed aliorsum deflectunt, à linea discedentes, quæ ex me perpetuanda est: veluti, gratia exempli, frater mihi transversalis est: nam etsi ab eodem patre ortus sit, à quo ego, alium tamen cursum à me tenet: in me enim non influit, nec item ego in illum: & alia ab eo linea ducenda est, alia à me. Sic patruelis frater, vel consobrinus eundem quem & ego avum referunt, sed diversis tamen rivis ab eo descendimus, cum diversis patribus orti simus: quæ exempla in his duabus speciebus posita ad multas alias transferri possunt. Contrà parentes linea recta nullis flexionibus in me decurrunt: nam abavus in proavum, isque in avum, qui avus in patrem, & pater demum in me influit: quæ ratio pariter in descendentibus constituenda est, quotcunque in lineas, vel rivos se dividant: inter hos igitur perpetua prohibitio ma-

trimonij est, etsi in alias, atq; alias stirpes in infinitum essent propagati: quocirca haud malè sentiunt, qui tradiderunt Adamo illi primo totius humani generis parenti, si hodie ageret in humanis, nullam repertum iri mulierem, quæ citra violatæ legis pœnam nubere posset: à quo tamen quis nescit, quot quamq; sæpe prorogatis & multiplicatis stirpibus deducti simus. Gradus autem hoc modo secundùm jus nostrum numerantur.

Primo gradu suprà sunt: pater, mater. infrà, filius, filia. ex transverso, frater, soror: quamvis secundùm leges civiles frater, & soror in secundo gradu locentur: & Justinianus Impera. docuerit, lineam, quæ ex transverso ducitur, à secundo gradu, scilicet fratris & sororis incipere. *Inst. eo. & l. 1. in prin. ff. eo.*

Secundo gradu suprà sunt: avus, avia. infrà, nepos, neptis. ex transverso, fratris, sororisve filius, vel filia. &

lia. & convenienter, patruus, amita, avunculus, matertera. frater patruelis, vel amitinus, soror patruelis, vel amitina. consobrinus, consobrina.

Tertio gradu suprà sunt, proavus, proavia. infrà, pronepos, proneptis. extransverso, patruus magnus, amita magna. avunculus magnus, matertera magna. propior sobrinus, propior sobrina: & eorum filius, & filia. fratris patruelis vel amitini, sororis patruelis, vel amitinæ. item consobrini vel consobrinæ filius filia. fratrisque, vel sororis nepos, vel neptis.

Quarto gradu suprà, abavus, abavia. infrà, abnepos, abneptis. extransverso, propatruus, proamita. proavunculus, promatertera. & eorum filij & filiæ, nepotes & neptes. pronepotes, & proneptes: item propioris sobrini, & propioris sobrinæ nepos, neptis, item fratris patruelis, vel amitini, sororis patruelis vel

amitinæ, consobrini, vel consobrinæ nepos neptis, & demum fratris & sororis pronepos, & proneptis. Et hæc usque ad quartum gradum tradidisse sufficiat. nam cum hodie usq; ad quartum gradum duntaxat nuptiæ prohibeantur, nihil attinet hoc loco ulteriores gradus cognoscere.

Sed quo unusquisque per se discat has computationes graduum inire, hoc præceptum generale ei tenendum est: ut in subducendo ascendentium, & descendentium calculo tot gradus censeantur, quot intercesserint personæ una dempta. Veluti, gratia exempli, à me, ad abavum, quinque personæ numerantur: Ego, pater, avus, proavus, abavus. hic igitur inter me & abavum quatuor gradus recensebuntur. In transversalibus verò hæc sit regula generalis, ut quisque ex collateralibus meis tot gradibus à me distare dicatur, quot gradibus à stipite is distet, ex nobis, qui

qui ab ipso stipite remotior est. quare, si ego stipite duobus gradibus vicinus sim, tu ab eodem stipite quatuor gradibus absis, quarto gradu mihi eris conjunctus, *c. fi. ubi gloss. de consan. & affi.* At si neuter altero longiùs à stipite absit, tot gradus inter nos cognationis referentur, quot nostrum utervis ab eodem stipite remotus est.

Supradictorum autem vocabulorum significatio hæc est; patruus, dicitur frater patris, amita est soror patris, soror. avunculus, frater matris. matertera, soror matris. Fratres patrueles dicuntur, qui ex duobus fratribus nati sunt, quemadmodum & sorores patrueles. Fratres amitini vel sorores amitinæ sunt, qui quæve ex fratre & sorore sunt orti vel ortæ, consobrini, qui ex duabus sororibus. Patruus magnus, amita magna, sunt avi frater & soror. avunculus magnus, matertera magna, sunt aviæ frater &

soror. propior sobrinus, propior sobrina dicuntur, filij, & filiæ ex patruo magno, amita magna, & avunculo magno, & matertera magna. Propatruus, proamita, dicuntur proavi frater & soror. proavunculus, promatertera, proaviæ frater & soror.

## TITULUS XIIII.

### *De gradibus & generibus affinitatis.*

CUm (ut suprà docuimus) quædam jura etiam inter affines versentur matrimonijs obstantia, non erit ab re de affinium quoque gradibus & generibus pauca hîc differere. Est igitur affinitas (ut Ioanni. And. placuit.) personarum necessitudo ex coitu proveniens omni carens consanguinitate, id est, sanguinis parentela. Nec refert an coitus sit legitimus, id est, per nuptias legitimas contractus, an id minus, quandoquidem etiam per conjunctionem illicitam affinitas contrahitur impedien-

dis

dis nuptijs apta. omnes enim qui mihi consanguinei sunt, illi efficiuntur affines: eum qua mihi conjunctio carnis consummata fuit, & invicem ipsius mulieris consanguinei omnes mihi affines sunt. ego verò & ea mulier invicem affines non sumus. nos enim tantummodo affinitatis principium & origo sumus. consanguinei quoque mei nullo affinitatis vinculo juncti sunt consanguineis fœminæ à me cognitæ *Ioan. And. in arbore affin.*

Affinitas & ipsa tres ordines habet quemadmodum cognatio: videlicet ascendentium, descendentium, & collateralium. Ascendentium affinium nomina sunt, veluti, socer, socrus, id est, mariti vel uxoris pater & mater. vitricus, id est, præsens maritus matris meæ, à quo tamen ego genitus non sim. noverca, id est, præsens patris mei uxor, quæ me tamen non genuit. aliorum autem superio-

periorum affinium nomina non recenseo, cum ferè sint eadem, quæ consanguineorum, vel sola particulæ hujus, Pro, adjectione distinguuntur, ut prosocer, & similia. Infrà sunt, veluti gener, id est, filiæ maritus. nurus, id est, filij uxor. privignus, vel privigna, id est, uxoris vel mariti filius filia ex alio marito, vel alia uxore susceptus. & ulteriores, quibus præpositio Pro, solet accedere, ut progener, id est maritus neptis, *c. infames. §. affinitates. 3. q. 7. ubi gloss. ver. præpositio.* Collaterales affines sunt, qui vel uxori vel marito consanguinei sunt ex transversa linea juncti.

Eorum autem affinium, qui justis nuptijs parantur, specialia nomina sunt hæc, videlicet, levir, qui est frater mariti. Sororius, qui est vir sororis. Glos, quæ est soror mariti. Fratrissa, quæ est uxor fratris: quæ & ipsa glos, rectiùs dici potest. Ianitrices, seu inateres, quæ sunt duorum fra-

fratrum uxores. *cap. quod autem 35. q. 6.* alij autem specialia nomina non habent, sed illo consanguinitatis nomine ferè solent appellari, quo nomine vel gradu ab eo nuncupantur, cujus causa affinitatem contraxerunt: veluti, qui uxori meæ consobrinus, vel patruelis est, is & mihi consobrinus, vel frater patruelis appellabitur, & de similibus. In his igitur, cum scire voluerimus, an cum eis nuptiæ contrahi possint, non solùm inspiciemus, quoto gradu affinitatis inter se devincti sint, sed etiam (ut suprà attigimus) inspiciendum erit, quo in genere affinitatis existant, nam etsi olim, & in secundo, & in tertio affinitatis genere nuptijs non esset locus, hodie tamen aliud servari ex Concilio generali Innocentiano suprà demonstravimus, ut scilicet in primo genere duntaxat prohibitæ censeantur, idque ad quartum usque gradum.

Sed

Sed ne quid ad hujusce rei notitiam desideretur, declaremus etiam, quando in primo genere affinitatis, vel secundo, vel ulteriore quis esse dicatur.

Est igitur sciendum, quod illa persona, cum qua consanguineus meus carnis copula conjungitur, mihi in primo genere affinitatis est. in eo autem gradu est affinitatis, in quo gradu consanguinitatis mihi est ille, ex cujus persona affinitatem acquisivi: quo consanguineo mortuo, si ea mulier alteri nubat, vel cum alio per carnis conjunctionem immiscetur, is secundus ejus mulieris maritus, vel qui eam absq; nuptijs cognorit, mihi in secundo genere affinitatis hoc facto adscitus erit: qua muliere defuncta, si vir vel amicus ejus, quē dixi modò affinitatis genere secundo, mihi esse conjunctum, superstes sit, alteramque vel ducat uxorem, vel sine matrimonio etiam per carnis copu-

lam

lam cognoscat, ea mulier mihi ex tertio affinium genere juncta erit.

Sed quamvis in hac tertia personarum mutatione genus quoque ipsum ter variatum sit, ut modò primum genus affinitatis diceretur, nunc secundum, postremò tertium, gradus tamen idem semper fuit nunquam variatus, quamvis genus mutaretur. Nam finge, quod ille consanguineus meus mihi in primo gradu consanguinitatis conjunctus esset, eodem in gradu affinitatis erit mihi mulier ab eo cognita, nec mutabitur gradus postmodum in persona alterius ejusdem mulieris viri: & demum hac muliere sublata lege naturæ, nova mulier à superstite ipsius viro cognita non minùs mihi adhuc erit in primo gradu affinitatis, quàm prima fratris mei uxor, ejusque uxoris secundus maritus, quamvis ille in secundo genere affinitatis mihi esset, hæc in tertio.

Atq;

Atq; his quidem modis genera affinitatis colliguntur, quæ tametsi omnia præter primum à nuptiarum contractibus abolita sint, (ut jam sæpe ostendimus) quia tamen haud ita facilè primum genus fuisset perceptum, nisi & altera duo ad majorem declarationem subdidissemus, non absurdum fore judicavimus, hæc quoque duo postrema declarare. Maneat igitur, alio modo genera affinitatum esse dimetienda, quàm gradus. & gradus quidem affinitatis ex gradibus consanguinitatis illius dinumerari, à quo affinitatis causam, & originem ducunt. Genera verò ex personarum varietate & accessione propter carnis immixtionem interveniente variari.

## TITULUS V.

### *De cognatione Spirituali.*

COgnatio quoque spiritualis (ut suprà indicavimus) non leve impedimentum nuptijs esse solet.

Cogna-

Cognatio autem spiritualis dicitur illud vinculum quod ex eo contrahitur, dum quis alij munus baptismi vel confirmationis impendit, seu dum impenderetur, ei tanquam pater astitit. ex his enim duobus sacramentis tantùm, baptismo scilicet, & confirmatione, cognatio hæc contrahitur, quæ cognationem naturalem in multis imitatur. *Abb. in rubr. de cogn. spir.* Hæc autem cognatio inter tres personas primùm initur, à quibus ad alias quoq; earundem causa emanat. nam inter illum, qui his sacramentis augetur, & illum, qui sacramentum ministrat, & illum præterea, qui his solennibus pro sacramentum accipiente intervenit, tanquam ejus tutelam susceptur (qui compater vulgò appellatur) cognatio contrahitur præcipua. si quidem & sacramenti minister, & ille, qui assistit, quo tutelam accipiat, quem diximus vulgò compatrē appellari, baptizato. seu confirmato,

mato, pro patribus habentur: quorum causa ad alios quoque fluit cognatio. nam eorundem ministri, & tutoris seu compatris uxores antea cognitæ, baptizato, seu confirmato, eorumq; parentibus cognatione devinciuntur: eorum verò filij solis baptizatis, vel confirmatis, non etiam eorum parentibus, hac necessitate junguntur. *glo. c.1. in fin. in 6. Ab. c. Martinus in fin.* Filij autem duorum compatrum, quorum nemo cognationi causam dedit, quæ inter eorum patres intercedit spiritualis, cognati inter se dici non possunt: ideoq; matrimonium inter se contrahere non prohibentur, nisi consuetudine aliqua fingatur eos cognatos esse. *c. 2.*

Si vir aut mulier filium proprium de sacro fonte etiam sciens susceperit, non tamen idcirco à se invicem separandi sunt, nec corporis potestatem alter alteri subtrahere potest, *d. ca. 2.* ne hanc tanquam ansam ad thori seperationem alter eorum aucupetur.

Quam-

Quamvis non plures, quàm unus vir, unaq; mulier accedere debeant ad suscipiendum de baptismo infantem, si tamen plures accesserint, cognatio inde contrahitur, matrimonia contrahenda impediens, ac etiam post contracta dissoluens. de confirmatione insuper (quantum ad hoc) idem judicium est habendũ. *cap. fin. in 6.*

Per catechismum quoque, qui baptismo tanquam exordium est, cognatio hæc inducitur, per quam contrahendum matrimonium impeditur, per eam tamen matrimonium contractum postea non separatur. *6. penul. in 6.*

Postremò sciendum est, hanc cognationem ad nepotes non extendi. Et hæc de Sacramentis hactenus dicta sufficiant, nunc ad quartam, eandemque ultimam nostri instituti partem accedamus, quæ est in Judicijs.

## TITUTUS XVI.

## *De Judicijs.*

Judi-

JUdicium est actus trium personarum in judicio contendentium, *doct. in rubr. extra eod.* quod vel coram ordinario, vel coram delegato exercetur. Sed & arbitria ad instar judiciorum sunt redacta, *l. 1. de arg.* Et aliud est judicium summarium, aliud ordinarium, de quo infrà. Item aliud est possessorium, aliud petitorium: petitorio quidem judicio agitur de rei dominio & proprietate: possessorio agitur de possessione: idq; tribus ferè modis, vel ut retineatur, vel ut quæratur, vel ut recuperetur possessio: & cum super possessorio, & petitorio simul est actum, utrunq; una sententia terminari debet: sed licet in pronunciando sit possessio præmittenda, in executione tamen debet proprietas prævalere. *cap. cum dilectus. de cau. possess.*

In judicio ordinario sic proceditur: nam inprimis actor libellum judici offert in scriptis reo citato redden-

dendum, cum quo litigaturus est: *ca. offeratur. 3. q. 3.* citatio enim in omni actu, quo præjudicium inferri possit necessaria est, adeò ut nullatenus tolli possit, *clemen. pastoralis. de re judic.* cum sit juris naturalis. In libello actor suum, judicisq; nomen, & rei conventi comprehendet, remque petitam, & petendi causam: *c. 1. ubi glo. de libel. oblat.* non tamen actionis nomen hoc jure est necessariò in libello exprimendum, etsi aliud Cæsareæ leges decernant, sed satis fuerit simpliciter, & purè factum ipsum & rei veritatem proponi. *c. dilecti. de judi.* At si in hoc quoque peccatum fuerit, reus erit à judicij observatione absolvendus, servata actori potestate aptiùs agendi. *c. examinata. de judi.* Nonnulla verò solent frequenter per reum opponi priusquam ad merita causæ, & litis contestationem perveniatur: putà, quod judex incompetens sit, ut si fortè judex laicus clericum conveniret:

neque enim clericus à judice laico vel distringi, vel condemnari potest, pœna etiam excommunicationis judici imminente, qui id fecerit: *c. 2. de foro compe.* vel si quis coram non suo Episcopo conveniatur: *ca. 1. de foro compet.* vel si alia hujusmodi opponantur, quibus judicis declinetur vel recusetur jurisdictio. Item si actor sit excommunicatus, à limine judicij repellendus est: conventus tamen debet, quamvis excommunicatus sit, per alium respondere, ne videatur de sua malitia commodum reportare. *ca. intelleximus de judic.* Sed & multa alia sunt, quæ vel contra actoris personam, vel aliàs ad impediendam litis contestationem opponi solent, quæ missa fiunt, ne extra propositi nostri normam vagentur.

Post quæ ad litis contestationem venitur: ea verò non per positiones & responsiones ad eas, sed per petitionem in jure propositam, & responsionem

sionem sequutam celebratur. *ca. unic. de lit. conte.* Nec per exceptionem peremptoriam litis contestatio facta intelligitur, imò litis contestatio fieri nihilominus debebit, *ca. fin. de lit. contesta. in 6.* nisi ex illis exceptionibus fit, quæ litis contestationem impediunt, *d. c. fin.* veluti exceptio rei judicatæ, & transactæ, vel finitæ. *d. ca. i. de lit. contesta. in 6.*

Contumace autem existente reo in actione quidem reali, mittendus est in possessionem rei petitæ actor, ut tædio affectus reus veniat responsurus: qui si intra annum venerit, judicio sisti cautione præstita, & exhibita satisfactione congrua expensarum, possessionem recuperabit: cautione autem intra annum non præstita, actor post annum verus constituetur possessor, super proprietate dumtaxat adversæ parti defensione legitimè reservata.

Sed alienarum rerum immobilium

possessor dominum in judicio statim nominare debet, eiq; certus terminus à judice præfinietur, quo domino id notum facere possit, ut ipse veniens vel idoneum dirigens responsalem actoris intentionem excipiat: quo nec veniente præscriptio longi temporis nihilominus hoc facto interrupta censebitur: & si dominus tribus edictis vocatus non venerit, negotio summatim examinato, actor in possessionem rerum petitarum mittendus erit, omni allegatione absenti super principali quæstione reservata. c. *quoniam frequenter.* §. *fi. ut lit. non contest.*

Si autem personali actione conventus reus, eo quo suprà dictum est modo, contumax fuerit, vel mittendus est actor in possessionem mobilium ipsius, vel immobilium. si fortè mobilia non habeat, pro modò debiti declarati, vel in contumacem est ecclesiastica sententia proferenda, ita ut alterutra pœna, quæ virisimiliter

liter magis metuenda sit, judex à principio contentus sit, ad alteram nihilominus processurus, si hoc meruerit proteruitas contumacis: qui veniens infra annum, vel post annum etiam juxta distinctionem in alio casu superiùs annotatam, audietur. *d. c. quoniam frequenter. §. fin.*

At si post litem contestatam reus contumax sit, & de causa liqueat, diffinitiva sententia poterit proferri. sin non liqueat, actor in veram possessionem poterit tamen immitti. *c. prout nobis. de dolo & contu.* Actore autem ipso in contumacia constituto testes recipi etiam lite non contestata, & reo instante sententia ferri poterit. *c. 2. de dolo & contuma.*

Regulariter autem lite non contestata non est ad testium receptionem procedendum, nisi de testium morte fortassis timeatur, vel absentia diuturna: quibus casibus cum civiliter est agendum, ne veritas occultetur,

tur, & ne probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, senes & valetudinarij, & alij testes, de quibus ex rationabili causa timetur, etiam lite non contestata admittendi sunt, seu seu pars conventa sit contumax, seu sit absens absq; malitia, ut conveniri non possit: attestationes tamen hujusmodi non valebunt, nisi actor convenerit adversarium intra annum, ex quo potuit, vel nisi hujusmodi testium receptionem illi denunciaverit. *d. c. quoniam frequenter. in prin.*

Possunt etiam alij casus incidere, quibus lite non contestata recipi testes opus sit: ut (verbi gratia) si super alicujus selectione, vel copula maritali quæstio moveatur, præsertim, si propinquitatis gradus opponatur lege divina prohibitus. nam, si contumax fuerit is, contra quem agendum erat, seu quia citatione peremptoria acceptа venire contemnat, seu quia seipsum malitiosè occultet, seu quia impe-

impediat, ne ad se citatio perveniat, poterunt testes lite non contestata recipi: & ubi de causa liqueat, ad sententiam procedi. item quando excessuum inquisitio contra contumacem, vel testium publicatio imminet facienda, quia super aliquo contractu in posterum quæstio metuatur, poterunt absq; litis contestatione testes produci. *d. c. quoniam frequenter. §. porrò & §. sunt & alij.*

Post litis contestationem juramentum calumniæ præstandum est: quo hæc jurans affirmabit, quod se credit bonam causam fovere: rogatusq; omnia fatebitur, quæ vera crediderit: nec sciens falsa probatione utetur: jurabitq; se nihil dedisse, aut promisisse, daturumve esse, aut promissurum, propter eam causam alicui his exceptis, quibus leges dare permittunt: seq; dilationem in fraudem nunquam petiturum, etsi hoc postremum

mum tutiùs fortè omitteretur. *c. 1. de juram. calum. ubi glo. & Abb.*

Contingit etiam interdum, ut reus conventus alium vicissim libellum ex aliqua causa contra actorem proponat, quod ubi incidit, debet judex etiam delegatus actorem in causa reconventionis ad respondendum in continenti cogere, & utranq; causam una sententia terminare. *c. 1. de mutu. petit.* Arbitri verò non possunt, nisi de his, super quibus in eos compromissum fuit, judicare: propterea coram eis reconventioni locus non est. *cap. cum dilectus de arbitr.*

Hæc in judicijs ut plurimùm intervenire solent, videlicet, citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, renunciationes, conclusiones: quæ omnia acta viri idonei in id deputati conscribent, ita ut

ut originalia penes ipsos remaneant ad fidem faciendam, exempla partibus volentibus dentur. *ca. quoniam contra falsam. de probat.*

Libello igitur, ut suprà diximus, dato, litisq; facta contestatione, & re discussa, conclusioneq; etiam in causa habita, & partibus peremptoriè citatis sententia est proferenda, quæ debet ab ipso judice sedente, non ab alio, de scripti recitatione proferri. Episcopo tamen propter dignitatis prærogativam licebit ad exemplum illustrium personarum, etiam per alium sententiam recitare. *ca. fin. de re judic. in 6.*

Sciendum est autem sententiam alijs non nocere, quàm eis inter quos lata est, eo tamen excepto qui, cum sibi primùm actio vel exceptio de ea re competeret, passus est, eum à quo causam habuit, experiri. *d. c. fin. de re judic. in 6.* Duobus autem judicibus diversas sententias proferentibus ex

jurisdictione ordinaria, tenet pro reo non pro actore sententia, causa favorabili excepta: putà, causa matrimonij, libertatis, dotis, testamenti: Si verò ex delegata potestate fuerint latæ, utraq; ex arbitrio delegantis pendebit: at si ex compromisso, neutra habebit vigorem. *ca. penult. de re judic.*

Lata sententia, si is, contra quem lata est, acquiescendum ei non duxerit, debebit intra decem dies appellare: nam decem diebus lapsis, sententia, à qua non fuerit appellatum, vim rei judicatæ habebit: ac post quadrimestre executionem in actione personali sortietur, nisi judex eum terminum coarctarit. *c. quod ad consultationem de re judic.* Nec minùs in electionibus, postulationibus, provisionibus, & quibuslibet actibus, extrajudicialibus, in quibus appellatio est permissa, intra decem dies appellandum est. *c. concertationi. de appellat. in 6.* Et non est prætermittendum, quod licet

leges

leges seculares appellationem (nisi in quibusdam casibus) ante sententiam non admittant, sacri tamen canones ante & post litis contestationem, & in prolatione sententiæ, & post, singulis facultatem tribuunt appellandi, *c. super eo. 2. de appellat.* ante sententiam tamen appellans rationabilem causam exprimere tenetur, *c. ut debitus. de appellat.*

Una sententia pluribus condemnatis, si unus solus ad appellationis beneficium convolarit, illius victoria jure communi cæteris suffragatur, si jure communi juventur, idemq; negotium, & eadem causa defensionis existat. *c. una sententia. de appella.*

Innovata autem post appellationem à diffinitiva sententia interjectam debent semper (exceptis casib. quibus jura post sententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis judicem penitùs revocari. imò & ea omnia, quæ medio tempo-

re inter sententiam & appellationem, quæ postmodum intra decennium interponitur, fuerint innovata. illa verò quæ post appellationem interpositam ante diffinitivam sententiam innovantur, donec appellationis causam veram esse constiterit, revocari non debent: nisi judex appellationis, postquam sibi constiterit per appellationem emissam ex probabili causa ad se negotium devolutum, inhibeat canonicè judici à quo est appellatum, ne procedat. tunc enim quicquid post inhibitionem hujusmodi fuerit innovatum (etsi causa appellationis vera non sit) per judicem appellationis ante omnia in statum pristinum est restituendum. *c. non solùm. de appella. in 6.*

Is autem, qui appellat, intra dies triginta instanter apostolos petere debet. *c. ab eo. de appella. in 6.* sunt enim apostoli literæ quædam dimissoriæ, quibus judex, à cujus sententia appellatum

latum fuit, notum facit judici superiori appellationem à sua sententia interpositam, & appellantem ad ejus judicium remitti. *gl. c. 1. de appell. in 6. l. 1. ff. de libel. dimissor.*

Appellatio tam judicialis, quàm extrajudicialis debet intra annum (nisi judex terminum coarctarit, *ca. cum sit Romana. de appell.*) vel ex causa etiam intra biennium à die interpositionis ipsius, vel à die illati gravaminis (ubi à futuro gravamine appellatur) finiri. quod si justo impedimento cessante appellans non curaverit, ejus appellatio deserta censebitur. *clem. sicut. de appella.*

Non licet autem alicui in eadem causa tertiò appellare: *c. directè. de appel* quinimo si quis tres sententias contra se in petitorio, vel possessorio reportaverit, nullatenus ad agendum de nullitate ipsarum vel alicujus ex eis admittetur, donec plenam executionem fuerint consecutæ. *clem. 1. de rejudic.*

Sed cum & de summarijs judicijs aliqua sint dicenda, sciendum est, in eis propria quædam jura servari, sive ex negotiorum & causarum natura eam qualitatem consequantur, sive ex mandati forma, & in causis quidem electionum, postulationum, vel provisionum, aut super dignitatibus, personatibus, officijs, canonicatibus, vel præbendis, seu quibusvis beneficijs ecclesiasticis, aut super decimis, nec non super matrimonijs, & usuris, & eas quoquo modo tangentibus proceditur simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura judicij, *clem. dispendiosam. de judic.* item in causis hæresis. *ca. fin. in prin. de hæret. in 6.* Eorum autem verborum vis hæc est, ut necessariò libellus non exigatur: litis contestatio non postuletur: tempore; etiam feriarum necessitatibus hominum concessarum à jure procedi valeat: dilationum materia amputetur: ac lis quàm brevissima fiat: exce-

exceptiones, appellationes, dilatorias, & frustratorias, partium, advocatorum & procuratorum contentiones, & jurgia, testiumq; superfluam multitudinem refrenando: non sic tamen rem coarctando, quin probationes necessariæ, & defensiones legitimæ admittantur, & quin citatio, ac præstatio juramenti de calumnia locum habeat. item in ipso litis exordio nihilominus petitio est facienda tam ex parte actoris, quàm rei, sive scriptis, sive verbo, dum tamen actis inferatur. item judex sic datus potest terminum ad dandum simul positiones & articulos præscribere (nisi aliud de voluntate partium procedat) & ad exhibendum omnia acta, & monimenta, quibus partes uti volunt, in causa post dationem articulorum, diem certam, (quandocunq; sibi videbitur) assignare. Interrogabit etiam in hujusmodi causis judex partes, tam ad earum instantiam, quàm ex officio, ubicunq;

ubicunq; hoc æquitas suadebit. Sententiam verò definitivam (citatis ad id licet non peremptoriè partibus) in scriptis, & prout magis sibi placuerit, stans vel sedens proferet, etiam, si ei videbitur, conclusione non facta in causa, prout ex petitione & probatione, & alijs actitatis in causa fuerit faciendum. Si tamen in prædictis casibus solennis ordo judiciarius in toto vel in parte non contradicentibus partibus fuerit observatus, non ideo processus nullus, irritandusve erit. *clem. sæpe. de verb. sig.* Non tamen semper supradictæ clausulæ omnes simul copulantur, sed aliquæ, vel una ex eis tantùm. Sciendum est postremò, quod aliud est judicium civile, cujus finis respicit privatum commodum, aliud criminale, quod publicum interesse, vindictamq; publicam respicit: *doct. in rubr. de judic.* quare tradenda sunt ea quæ ad judicium criminale spectant.

INSTI-

# INSTITUTIONUM JURIS CANONICI

## Liber Quartus.

### TITULUS I.

### *Quibus modis de crimine agatur.*

Videndum est de Judicijs, quæ circa delicta versantur. nam etsi leges Pontificiæ pœnarũ atrocitatem exhorreant, quibus præsertim de sanguine & vita hominis agitur, non tamen ita indulgentes se præbent, ut velint crimina omnino delinquentibus condonare, sed ut & qui deliquerunt, discant talia posthac non committere, & cæteri pœnarum metu sint ad scelera patranda tardiores, certas pœnas adinvenerunt, quæ in fontes ex delicti qualitate citra sanguinis vindictam, aut membri debilitationem exerceri possint, (quædam enim culpæ existunt, in quibus culpa est relaxare vindictam. *ca. quia. dist 28.*) multosq; modos tradiderunt, quibus medijs contra facinorosos homines

nes ad publicam ultionem perveniri possit. Quinq; enim sunt modi, quibus de crimine haberi notitia potest, videlicet, accusatio, denunciatio, inquisitio, exceptio, & notorium: *Specu. in titu. de accusa.* nam etsi alij quoque enumerari soleant. *Feli. ca. qualiter. 2. ver. ad corrigendos de accusa.* hi tamen magis ad rem sunt.

In accusatione hoc servatur inconcusse, ut si legitimus non fuerit accusator, non fatigetur accusatus. *c. 1. de accusa.* Nec laico clericum accusare conceditur, nisi suam vel suorum injuriam prosequatur, *c. de cætero. de testi. ubi glo. & doct.* quibusdam articulis, quibusdamq; criminibus exceptis. *ca. cum p. manconella. de accusa.* Nec conceditur, super isdem criminibus quempiam sæpius vexari: sed semel absolutus, deinceps amplius de eodem crimine molestiam pati non cogitur. *c. de his de accusa.*

Et ne passim calumniatoribus licentia detur alium ex libidine sua ad judicium vocandi, ut de crimine falso obiecto se purget, ac ne ita eveniat innocentes citra aliquam eorum noxam capitis, fortunarum, aut existimationis discrimen alicujus impij & scelerati hominis impudenti audacia subire, & de statu suo con-

flicta-

flictari, statutum est, ut quisquis alium accusare voluerit, se inscribat, seq; obliget (ubi objectum à se crimen probare nequeat) talionis pœnæ, id est, quam reum sustinere oportuisset, si de objecto crimine fuisset convictus. *c. quisquis c. qui crimen. 2. q. 8.* dum ejusmodi supplicium sit, quod in accusatorem cadere possit. quapropter Gregorius X. cum intellexisset Subdiaconum in Diaconum quendam calumniatum rescripto suo præcepit, Subdiaconum non Subdiaconatus solùm ordine spoliari, sed præterea etiam verberibus publicè affectum in exilium mitti. *c. 1. de calumniato.* Hodie tamen & subscriptio amplius in usu frequenti esse non videtur: *Bart. l. si cui. in prin. ante num. 3. de accusa.* & talionis pœna dissuetudine abolita. *Fel. ca. super his. ult. no. de accusa.* Quendam autem, qui in probandis Episcopi sui delictis à se delatis defecerat, Innocen. III. ab officio & beneficio suspendendum decrevit, quoad se à calumnia abesse legitimè purgasset. *c. 2. de calum.*

Non potest quisquam accusatus procuratorem dare, qui causam ejus nomine suscipiat defendendam. sed ipsummet accusatum in judicio esse, & causam per se dicere oportet. concedi-

ceditur tamen, si absens sit, absentiæ suæ causas per procuratorem proponere, aliasq; excusationes, quæ ipsum crimen, cujus causa ei sit negotium, non attingant. *ca. veniens. de accus.*

Denunciatio quoq; magnam habet cum accusatione conjunctionem, nisi quod cum crimen in modum denunciationis opponitur, non est, sicut in accusatione inscriptio necessaria, quoniam ad depositionem instituitur accusatio, sed ad correctionem est denunciatio facienda: *c. super his. de accusa.* tametsi is quoque interdum impunè non habeat, si nequiverit probare crimen, quod detulit. *c. fin. de calum. ubi Abb.* Et cum denunciatio hac potissimùm ratione fiat, ut is, cujus crimen defertur, deinceps ab eo crimine se contineat, convenire videtur, ut priùs amicè & blandis verbis, moxq; etiam si oportuerit, amaris objurgationibus castigetur, ut ultrò seipsum corrigere, & à vitio velit continere: quæ si nihil prodesse constiterit, quominus in delicto pertinacitar perseveret, tunc demum ecclesiastico judici erit denunciandus. *ca. 2 de accusa.* Denunciationis verò faciendæ potestas omnibus non patet, sicut neq; accusationis. quare nec publicè concubinas habentes, nec excommunicati,

nicati, ad denunciandum admittuntur. *c. cum dilectus, eod. titu. c. 1. 4. q. 1.*

Inquisitio à judice ex officio ejus mero fieri solet, ut sciat, an fama, quæ de crimine alicujus circumfertur, vera sit. *ca. cum oporteat. & ca. qualiter de accusa.* quam, si facta disquisitione veram esse compertum fuerit, quamvis certa pœna in eo delicto legibus diffinita esset, si per modum accusationis procederetur, ubi tamen per inquisitionem proceditur secundùm personæ merita, & qualitatem excessus pœna poterit judicis arbitrio moderari. *Fel. in c. qualiter & quando. 2. §. licet. num. 19. & sequen. de accusa.* in qua tamen moderatione facienda plures erunt cautiones judici considerandæ, *Fel. ubi supra.* si tamen ex his criminibus fuerit, quæ executionem ordinis impediunt, nullum erit judicis arbitrium. tunc enim certa erit pœna, quæ non in judicis voluntate mandatur, sed legis authoritati reservatur. nempe ut beneficio, vel etiam officio exuatur, quamvis per inquisitionem cõvictus. vel nisi tale sit crimen, quod beneficio indignum delinquentem faciat. nam tunc haud dubiè beneficio illi erit interdicendum, quamvis per inquisitionem damnato. quas pœnas utroq; casu nullo pacto poterit

judex

judex moderari. *c. inquisitionis. in princ. eo. tit. de accusa.* Quicunq; autem judex inquisitionis tramite contra delinquentem procedit, hoc caute observet, ut non priùs in personam quærat, quam suspicatur delictum patrasse, quàm de fama in eum vulgata compertum habuerit quæstione præmissa. qua etiam ratione fit, ut criminum occultorum excussio per inquisitionem fieri prohibeatur. *ca. cum oporteat. ca. qualiter. 1. & ca. qualiter. 2. ubi Abb. ulti. no. de accusat.*

Opponi verò solent crimina per exceptionis modum: veluti contra actorem, ut ab accusatione repellatur. item contra testes, ut testimonio ferendo minùs idonei habeantur. quibus casibus non erit necesse de crimine excipientem se inscribere, *ca: licet de simon.* nec punietur excipiens, etsi crimen objectum non probaverit: nec is, contra quem est in exceptionis duntaxat vim, ut repellatur, objectum, & si convictus sit, ullam criminis objecti pœnam sentiet. *ca. cum dilectus. de ordine cogn. Bart. l. 2. in princ ff. de accusat. & l. 2. §. si publico. num. 10. ff. de adult.* Per exceptionem quoq; crimina opponuntur, ut quis ab officio, vel beneficio, quod affectat, repellatur. quo casu

Jus

seu ante confirmationem, seu post fiat exceptio, nunquam tamen inscriptio erit necessaria, quamvis posteriore casu, in exceptionis probatione post confirmationem oppositæ deficiens, aliqua pœna arbitrio judicis afficiēdus sit. *Specu. in titul. de crim. in mo. except. § in primis.*

Et hi quidem proximè dicti quatuor modi tunc sunt necessarij, seu eorum aliquis criminibus vindicandis, ubi criminum aperta notitia non est. verùm si evidentia patrati sceleris in promptu sit; tunc neq; accusatoris ardens clamor, neq; denunciatoris diligens charitas, nec jus dicentis officium sagax per inquisitionem desideratur, neq; exceptione crimen objici necesse est, ut his medijs ad criminis vindictam perveniri possit, vel delinquens ab affectatis summoveri, sed & sine libello, sine exacta causæ cognitione poterit judex ad legitimam ultionem reo vocato procedere. *ca. evidentia. de accusa. Specu. in titu. de crimin. notor.*

Illud generaliter est observandum, ut nemo absens judicetur, nisi ex contumacia absens fuerit: quia divinæ & humanæ leges hoc prohibent. *ca. accusatores. in fin. 3. q. 8. c. absens. 3. q. 9. & per totam.*

TITU-

## TITULUS II.

### *De Simonia.*

DIcendum est nunc quæ nam sint crimina, quæ ultionem exspectant. Et primùm Simonia gravissimum crimen est, adeò ut cætera crimina quamvis alioquin gravia, huic tamen comparata levia æstimentur. *cap. per tuas. de simon. ca. fin. 1. q. 7. ubi glo. ver. reputantur & ver. pro nihilo.* nam cum sæpe contingat homines ambitione tractos immensa, & vasta quadam bonorum, & beneficiorum siti omnia tentare, quæ sibi in mentem modò venire possint, ut suis desiderijs satisfaciant, & nunc precibus, nunc pretio, nunc alijs vijs aggredi, ut quæ gratis esset concedenda, nec nisi benemeritis spiritualium administratio, quovis modo ad commoda sua extorquere possint, nullam habentes rationem, quod Simon Magus à Petro acri fuerit objurgatione repulsus, cum ab eo pecunia gratiam redimere tentasset: propterea in hujusmodi labe purganda nunquam se flectere, nunquam se connivere Pontifices Romani & Canonicæ leges ostenderunt, omnia quantum potuerunt, removentes, quæ huic nefandissimo sceleri causam vel

sam vel occasionem præbere posse videbantur, multa etiam introducentes, quibus comprimi & coerceri saltem pœnæ temporalis metu possent, qui æternam floccifacerent.

Incidit autem in hoc crimen, quicunque quovis machinarum genere (ut ita dicam) sibi eos expugnare conatus fuerit, quibus jus est spiritualia aut eis annexa, vel accedentia conferendi, quiq; his aggressionibus superari se & prosterni permiserit, ut precio fortè, aura populari, aut optimatum gratia, vel obsequijs potiùs quàm meritis & bonis artibus, aut ecclesiasticæ rei benè gerendæ studio spiritualia vel eis annexa, aut eorum administrationem conferret, vel decerneret. ex quorum numero sunt, qui pecuniam exigunt ab his, quos ad religionem in collegium suum sunt cooptaturi. quiq; præfecturas quascunq; aut regimina ecclesiarum vendunt, vel emunt, vel sepulturam, vel Chrisma, aut sanctum oleum, quacunq; id facti verborum facie obducant. *ca. non satis. ca. tua nobis. ca. eam quæ ca. in tantùm.* idem de ecclesiarum consecratione dicendum: pro qua præter procurationem nihil exigi potest. *c. cum sit Romana.* idem de consecrationibus Episcoporum, benedictionibus Abbatum,

tum, & quibusvis ordinationibus. *c. sicut. pro certo.* item qui pretio, vel gratia peccatorem publicum celarit, vel minimè pœnitentem reconciliarit, aut econverso verè pœnitentem reconciliare detrectarit, hujus criminis reus est, *c. nemo presbyterorum.* quæ non minùs in accipiente locum habere intelligenda sunt. *c. sicut simonia.* Et quæ de paucis speciebus retulimus, ad multas alias transferri earum exemplo possunt. ad eam enim regulam, quam diximus, semper referenda res est: nempe ut spiritualia, eorumq; administratio non nisi benemeritis concedantur, idq; gratis.

Hoc igitur simoniæ vitio qui laborant, ut primùm ejus rei indicia claruerint, ab altaris ministerio expelli debent, *d. c. sicut simoniæ.* quàm pœnam non minùs ferent, quamvis non quidem convicti essent, sed communi tamen omnium voce cuta notarentur, & oculis signarentur, hocq; nomine purgatio eis indicta esset, canonicè eam non præstiterint.

Sed severiùs etiam contra hujusmodi personas, simoniæ vitio irretitas insurrexit Paulus Venetus II. cujus constitutio extat sanciens, ut pœnis ipso jure censeantur adstrictæ. & adjiciens, ut omnes illi, qui simoniacè ordinati fuerint,

fuerint, à suorum sint ordinum executione suspensi: atq; ut per electiones, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniaca labe fieri contigerit, nullum omnino jus cuiquam acquiratur, sed omnium, quæ perceperit, restitutioni sub animæ periculo sit adstrictus. & omnes, qui simoniam commiserint, aut in ea patranda mediatores fuerint, excommunicationi obnoxij sint, nec absolui ab alio queant quàm à summo Pontifice. *extrauagan. cum detestabile. de simon.* Quare constare potest, quàm diris execrationibus hoc vitium Pontifices Romani semper sint persecuti.

Hinc etiam servi adversus dominos, & quilibet criminosi in hujus criminis accusatione admittuntur, & quivis peccator, simoniaco excepto, missam canere permittitur. *c. tanta est labes.* Item neq; infamia, neq; aliqua crimina contra testes obijci possunt, qui de simonia testimonium reddunt, cum de ea per inquisitionis viam cognoscitur: sed hæ solæ excep. testes repellere poterunt, quibus probatis appareat eos malignitate potiùs, quàm justitiæ zelo adductos testificari. *ca. licet heli.* Et hoc de crimine accusatus prohibetur interim missa-

rum solennia celebrare, donec de veritate constiterit. *ca. accusatum. & seq.*

## TITULUS III.

### *De hæreticis.*

MAxima est etiam & pernicioſa admodum hæresis labes, quæ tametsi interdum parva motu primo videatur, tamen quamprimum vestigiorum vel leviter premendorum potestatem nacta est, paulatim serpens in dies majores sibi vires comparat: & postquā eò virium pervenerit, ut jam in multos populos vagata regni sui fines latè protenderit, tum verò sic hæret tenaciter, & tam firma figit vestigia, ut sæpe maximo labore & industria, crebrisq; & sollicitis vigilijs ei evellendæ opus sit: sæpe etiam non minimas calamitates fidelibus invehat, priusquam extingui, & à radicibus evelli possit, quod res ipsa testatur. propterea quò est hæc pestis orbi Christiano pernicioſior, eò vigilantiùs illi obviandum est, tam ut veteres hæreses deleantur, quàm ut nullæ præterea oriri, aut ortæ usquam coalescere possint: ea propter multæ sæpe constitutiones diversis temporibus factæ sunt per Romanos Pontifices, & sacrosancta Concilia generalia, quibus multa prudenter statuta sunt, ut vel amore, vel metu homines

homines coercerentur, ne hujusmodi labium authores existerent.

Hæreticus autem dicitur, qui à fide & doctrina Christi, Apostolorum, vel ecclesiæ discedit, articulos fidei, vel ecclesiastica sacramenta cum asseveratione refellens. Eorum plures & diversæ sunt sectæ, & alij quidem de nomine suorum authorum nuncupantur: veluti, Simoniaci, Menandriani, Basilidiani, Nicolaitæ, Lutherani, Ugonothi, & multi id genus alij, quorum hac tempestate (quod maximè dolendum est) infinitus fere est numerus. Alij verò ex causis novorum rituum vel opinionum, quas vel instituerunt, vel tutari conati sunt: Cujusmodi sunt Aquarij, Alogij, Anthropomorphitæ pluresq; alij, quorum nomina tam superioris generis, quàm posterioris Isidorus recensuit. *ca. quidam autem. 24. qu. 3.* qui omnes quibuscunq; nominibus censeantur, vel quibuscunq; ritibus & opinionibus inter se differant, etsi facies habeant diversas, caudas tamen cõnexas habent, cum vanitate in unum conveniant, *ca. excommunicamus. 1. & 2.* & communi nomine adversus Ecclesiam Dei conspirent. *ca. quidam autem. in fin.*

Hoc autem nefarium hominum genus

varijs pœnis affici solet. nam primùm excommunicantur, non solùm, cum de hæresi apertè convicti sunt, sed & si, cum solummodo suspecti essent, eoq; nomine purgatio eis indicta esset, eam contumaciter recusarint. quo casu, si excommunicationem annum pertulerint, nec tamen se purgarint de objecta eis suspicione, veris hæreticis per omnia annumerabuntur. *c. ad abolendam. & qui verò. eodem titu. & c. excommunicamus. 1. §. qui autem.*

Item nemo hæreticos in oppido suo, aut in domo sua suscipere, aut eos fovere debet, aut negotiationem aliquam cum eis exercere: eisq; in hoc peccato defunctis nec inter Christianos sepulchrum conceditur, nec oblationes pro eis factas ecclesia agnoscit. *ca. sicut autem.* Et quicunq; hæreticos, eorumve sectatores, receptatores, defensores, vel fautores scienter ecclesiasticæ sepulturæ concesserit, excommunicatione tamdiu devinctus tenetur, quoad idoneè satisfecerit; nec absolutionis munus priùs consequitur, quàm cadavera eorum suis manibus publicè effoderit, & abjecerit. ille verò locus, qui eis sepulchrum dederat, nullius orthodoxi sepulchro aptus deinceps censebitur. *c. 2. in princ. in 6.*

Bona

Bona quoq; omnia hæreticorum publicantur. quamvis eis filij orthodoxi sint: quæ bona, si eorum domini hæretici in clericatu sint, vel temporali Ecclesiæ ditioni subjecti, Ecclesiæ fisco addicentur, vel si ab aliqua ecclesia stipendum habeant, ipsi ecclesiæ quæ stipendium eis suppeditabat, applicabuntur: sin laici illi sint, laicorumq; ditioni pareant, laicorum item fisco bona eorum vendicabuntur. *ca. Vergentis. c. excommunicamus. 1. §.* Sed quamvis eo ipso quo aliquis hac labe fœdatus est, confestim ejus bona ipso jure fisci efficiantur, non tamen confiscationis ipsius executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri debet per principes, aut alios dominos temporales, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam ecclesiasticam quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eo crimine fuerit promulgata. *ca. cum secundum. de hæretic. in 6.* Quæ condemnationis sententia etiam post mortem hæretici nihilominus ferri poterit, atq; ita bona ipsius jam dudum ipso jure fisco addicta occupari. *ca. accusatus. §. in eo verò. in 6.* quin & dos mulieris, quæ sciens cum hæretico nuptias contraxerit, publicatur. *ca. decrebit. in 6.* Item hæretici & qui eorum perversas opiniones sequuntur,

quuntur, & eorum receptatores, defensores, & fautores, horumq; omnium filij ad secundam stirpem paternam editi, vel ad primam stirpem maternam, ad nullum ecclesiasticum beneficium, vel publicum officium admittuntur: *c. hæretici 2. in 6. & ca. statutum. 2. eod. lib.* nisi tamen hujusmodi hæretici Christianorum fidelium cœtui emendatione præcedente jam essent constituti. *d. c. statutum 2.*

Item qui hujusmodi hominum commendatione, & opera beneficia ecclesiastica scientes adepti fuerint, non solùm beneficijs eo modo quæsitis, privantur, sed omni quærendorum quoq; spe carere jubentur: sin verò imprudentes eorum suffragijs vota sua expleverint, quærendis quidem sacerdotijs poterunt animum adjicere, sed eo modo quæsita retinere non permittentur. *c. ij. §. ad hæc. in 6.* Nec potest hæreticis aliquid ab episcopis, presbyteris, alijsve clericis conferri, nisi velint largitores anathemati obnoxij esse, quamvis sanguine etiam eis essent conjuncti: *c. si quis Episcopus, & c. seq.* omnesq; hæreticis quavis occasione obligati ipso jure ea obligatione soluti censentur, *c. fin.* quin etiam potestatem amittunt hæretici, quam in proprios liberos habent: quare frustra eos emancipabunt. *c. 2. in fin. in 6.*

Atq;

Atq; ut hæretici, cum jus dicentium manus effugiunt, ne debita suæ impietati supplicia experiantur, tædio tamen vitæ affecti (quippe quæ infrà scriptis causis ærumnosa illis ducenda sit) ita resipiscant fortasse, & mentem recipiant, cum viventibus sibi omnia viderint vivorum commercia interdicta: statuit Inn. III. ut advocati & scriniarij omnes infamia notati decernantur, & ab officio suspensi, quicunq; hæreticis eorumq; sectatoribus, fautoribus, vel defensoribus, aliquod præstiterint auxilium, vel suffragium, & in causis, litibusq; eis patrocinati fuerint, & pro ipsis publica instrumenta, aut Syngraphas conscripserint. *c. si adversus.*

Ac ne ullis mæandris vel tergiversationibus possint hæretici condemnationem suo arbitratu differre, atq; ita judicium eludentes è manibus justitiæ elabi, provisum est etiam, ut personarum alioqui intestabilium contra eos testimonium recipiatur. Nam & excommunicati, & participes, vel socij criminis ad testificandum admittuntur, præsertim in probationum aliarum defectum, si omnibus cautionibus rectè perpensis eorum dicta verisimilia videantur. *c. in fidei. in 6.* Sed & qui in eodem crimine hæresis testes interrogati perjuti extiterunt,

terunt, volentes postmodum corrigere dictum suum contra se, ac socios suos deponendo audiuntur. *c. accusatus. §. licet in 6.*

Eadem ratione etiam fit, ut oppidorum jurisdictionem tenentes, seu provinciarum, aut loci cujuslibet, quamvis excommunicati sint, vel nullo jure permittente eam sibi jurisdictionem arrogarint, possint nihilominus, & teneantur contra hæreticos, aut alios eorū fautores, ubi id fuerit necesse, suum officium exercere *c. præsidentes in 6.* Eo fit quoq; ut sententia contra eos lata nullo appellationis, vel provocationis auxilio rescindi possit. *c. ut inquisitionis. in 6.*

Postremò si hujusmodi nefarij & impij homines in potestatem judicis pervenerint, damnati præsentibus potestatibus secularibus dimittendi sunt animadversione debita puniendi, detractis tamen priùs sacris ordinibus, si clerici fuerint. *c. excommunicamus. 1. §. 1.* quæ depositio vel ab uno Episcopo, si aliorum copia haberi nequeat, fieri poterit, convocatis tamen ad hoc majoris ecclesiæ canonicis, & Abbatibus, alijsq; prælatis, & religiosis suæ diœcesis scientissimis, quorum præsentia ei negotio opportuna videatur. *c. 1. in 6.*

Ad sanam tamen mentem reversis, & publicè cr-

cè errores priſco deteſtaris jura indulgere ſolent, ne laicorum manibus eos permittant: *c. excommunicamus 2. §. fin. ubi glo. & Ab. & c. ſuper eo in 6.* niſi relapſi ſint (& relapſi dicuntur, etiam de alio, non eodem articulo malè ſentire convicti. *c. accuſatus. §. eum verò in 6.*) Sed in carcerem tamen perpetuum eos ablegari, vel muro includi præcipiunt pœnitentiam erroris acturos, *d. §. fin. ubi glo.* quæ pœna poteſt hodie jusdicentis arbitrio in aliam mitiorem, ſi ei viſum fuerit, commutari. *c. ut commiſſi in 6. & Abb. d. c. excommunicamus, 2.*

In cauſa hæreſis proceditur ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicij. *c. fin. in 6.*

## TITULUS III.

### *De Schiſmaticis.*

SChiſmatici quoq; , id eſt qui ab unitate eccleſiæ ſe dividunt, ſuos ſibi ſeorſum conſtituentes ſacerdotes, *Abb. in rubri.* hæreticis annumerantur: & ab eis factæ ordinationes irritæ habentur, & qui dignitates eccleſiaſticas, ut beneficia per ipſos ſunt conſequuti, eis privantur: item alienationes rerum eccleſiaſticarum per ipſos factæ nullius ſunt momenti: & qui ſponte in ſchiſma quodpiam jurarint, à ſacris ordinibus & dignitatibus ſuſpenduntur:

*c. 1. & 2.* & demum, si indomiti sint, degradari etiam possunt, & curiæ seculari tradi. *Benar. Diaz. tit. de schismati.*

## TITULUS V.

### *De Apostatis.*

APostatis non minùs suæ pœnæ sunt. Horum autem tres cum sint species, nam alij à Christianæ religionis doctrina defiectunt: alij erga suos prælatos se nimiùm contumaces præstant: alij regulam suam posthabent, quem susceperant habitum, & regulæ præcepta, in quæ jurarunt, deserentes. Prima eorum species illis pœnis tenetur quas supra adversus hæreticos statutas demonstravimus: in qua specie illos ponendos existimarem, qui Summo Pontifici non parent, nec ejus canonibus tanquã à Pœstatem non habente conditis.

Qui verò ex altera specie apostatæ sunt, & nimiæ erga prælatos suos contumaciæ nomine accusantur, si adeò cervices erexerint, ut etiam ipsi Romano Pontifici non magis obedientes se reddant, sed contemptui eum se habere ostendant, deponendi sunt: atq; etiam si correctioni aures patefecerint, excommunicandi, & laicorum manibus delinquendi: mitius tamen punientur, si hæc ex lascivia quadam potius, quàm

quàm elato animi fastu adversùs Pontificem commiserint.

Tertiæ autem speciei apostatæ, id est, qui ordinis & religionis susceptæ desertores existunt, quamdiu in eo proposito persistunt, efficiuntur infames: & ab accusatione & testimonio repelluntur: nec possunt ad dignitates evehi. & præterquàm quod pluribus actibus interdicti sunt, præterea, si admoniti correctionem nullam adhiserint, deponi etiam possunt, & demum fœdi carceris squalorem etiam experiri coguntur, donec ad saniores mores, à quibus jam obstinatis animis declinarant, suos pertæsi errores revertantur. *Bernar. Hisp. in practi. eod. tit. & Abb. c. 1.*

## TITULUS VI.

### *De his qui crimen hæresis quærere, & vindicare possunt.*

PArùm fuerit pœnas contra hæreticos statutas esse, nisi etiam judices constituti essent, qui & quæstione diligenter exercitata fontes invenirent, & inventos dignis supplicijs subijcerent. Ad ordinarios igitur hæ partes spectant, verùm quia provincia ipsa per se ardua est, magnique negotij, & sæpe contingit Episcopum alijs curis, quæ plurimæ illi officio

incumbunt distractum non posse, qua esset opus diligentia, in hoc negotium incumbere, & tamen tanti est momenti res, ut nihil tepidè, nihil remissè in ea agi oporteat, ea propter providerunt juris Pontificij conditores, ut judices aliqui constituerentur, quibus id negotij præcipuè daretur: nempe ut hæreticos sagaciter exquirendo invenirent, inventos diligenter excuterent, excussosq; legitimis pœnis afficerent, omnemq; suam curam & studium in hanc rem conferrent. Quos judices vel quæsitores, vel (ut vulgò) inquisitores appellare solemus. eos verò annorum quadraginta ætatem attigisse oportet, *cle. pen. de hæret.* quod officium etsi in mandato fundetur, vel sedis apostolicæ, vel aliorum, quibus tales judices dandi jus competit, mandatoris tamen morte non extinguitur, etiam quo ad negotia, nec dum vivente mandatore incepta, quæq; etiam nondum emersérant. *c. ne aliqui. de hæretic. in 6.*

Horum igitur inquisitorum non parva in his negotijs est potestas, quippe hi & citationes mandare possunt, & denunciationes sententiarum, quas in id genus homines promulgarint, cleri quoq; ad se evocandi, & populi, & peritissimi cujutq; quorum sententias in hac causa

causa explorare velint, jus & potestas ei permissa est. possuntq; suæ ditionis fines egressos hæreticos persequi. Item libros, quibus quæstiones contra hæreticos actitatæ continentur, ad se afferri jubere. item hæreticos penes se remorari, & capi eos imperare, & in custodiam conijcere: compedibus quoq; & manicis ferreis devinciendo, in eorum potestate est. Et demum contra eos, in quos viderint expedire, quæstiones exercere possunt. Quæ omnia etiam soli fine diœcesano facere possunt.

Verùm carcerē pœnæ magis quàm custodiæ causa assignandi potestas Episcopo inconsulto eis non permittitur: nec carcerem hæreticis ad sanitatem reversis in pœnam prisci erroris jure assignatum in aliam pœnam transferre: vel tormentis subijcere: aut contra eos sententiam ferre. sicut neq; econverso Episcopis hæc agere permissum est, inquisitoris sententia non explorata. *c. ut commissi. in 6. & cler. 1. §. 1.* Quod si eorum alter sive Episcopus sive inquisitor nolit, aut non valeat ipse coram adesse, ut cum altero de præscriptis conferat, hoc tamen ab eo exigitur, ut saltem collegæ partibus suis fungenti vices suas mandet, vel consensum suū & consilium per literas singnificet. *d. cle. 1. §. 1.*

Libe-

Liberum tamen est eis, videlicet Episcopo, & inquisitoribus, vel simul conjunctim adversus hæreticos quærere, vel divisim, dummodò si sejunctim processerint acta coram se gesta alter alteri communicet: eo scilicet tempore, quo aliud nil jam supererit agendum, nisi ut sententia feratur: *extravagan. 1. eod. tit. &c. per hoc in 6.* quo facilior sit veritati aperiendæ aditus, & una utrorq; simul negotium sententia finiet. in qua ferenda, si fortè inter eos non convenerit, negotij series aptè & compositè ab utroq; exposita ad sedem apostolicam mittenda est. Verùm inquisitores, etsi à summo Pontifice dati essent, contra Episcopum tamen inquirendi jus nullum habent, nisi hæc facultas eis specialiter concessa sit. sed si quempiam Pontificij gradus in hoc crimine jacere compertum habeant, vel de hoc famam vehementem adversùs eum esse intelligant, id tenentur sedi apostolicæ denunciare. *c. inquisitores. in 6.* Quod etiam observandum est in apostolicis officialibus, vel nuncijs. nam & eorum hujus generis errores summo Pontifici per quæsitores denunciandi sunt. ipsis enim quæsitoribus nullum adversùs Episcopos inquirendi jus legibus Pontificijs concessum est. *extravagan. fin.*

Multa

Multa præterea per diversos Summos Pontifices statuta sunt, quæ ex quæsitorum officio esse decreverunt, tam circa testes super hoc crimine examinandos, quàm circa librarios, & alias personas, quæ eorum officio impedimentum, vel opem importare possent: quàm etiam circa custodiam hæreticorum: & deniq; circa plura, quæ ad eorum officium spectare decernunt. *c. ut officium. & c. inquisitionis. in 6. & cle 1. §. 2. usq; ad finem & cle. 2.* Sed quia instituti nostri propositum egrederentur, ea idcirco prudenter missa facimus.

## TITULUS VII.

### *De Usuris.*

USuræ crimen non minimum existimantur, cum & testamenti utriusq; lege diris execrationibus sancitæ sint, & à jure quoq; humano, tam Cæsareo, quàm Pontificio repellantur, *c. quod. dictam. ubi glo ber. reddi. 14. quæst. 4.* sive id sit, quia naturam superare, & quodammodò violare velle videntur, qui id agunt, ut pecunia, res suapte natura nulli propagationi apta, nullo tamen domini labore, nullaq; ejus industria, quasi fructus ex se gignat, seu quia pietati contrarium sit, & à Christiana charitate alienum, nolle opibus sibi superantibus proximo egenti gratis supperias ferre.

Est

Est autem usura crimen ex lucro proveniens, quo sors mutuò data accessionem accipit, vel ex pacto, vel intentione mutuantis. Et cum dixerimus usuram ex mutuo oriri, consequens est etiam, ut in his duntaxat rebus committi possit, in quibus & mutuum consistit, nempe his, quæ pondere, numero, mensurave constant. *Abb. in rub.*

Qui pro mutuata pecunia fundum pignori accepit, ejus fructus, si quos percipit, in sortem acceptos ferre debet, non sibi lucro adscribere, nisi fœneratoris nomen & notam subire velit. *1. & cap. conquæstus.* Sed nec ille hoc peccato erit solutus, qui majore precio rem suam ideo vendiderit, quod precio persolvendo temporis aliquod interstitium emptori concesserit. *c. in civitate.* nam & hic mutuum videtur latere, quamvis extrà non appareat, emptori si quidem venditor pecuniam videtur ad rem à se comparandam mutuasse, quam statuto tempore auctam sibi postea cum fœnore reddat. Quod sanè ita est intelligendum, si certum erat, venditarum mercium precium post venditionem factam auctum non iri: quod si id fuisset incertum, easq; merces contractus celebrati tempore ultrò non fuisset venditurus, aliud dicendum esset. *c. fin.* Qui

Qui verò decem solidos dat, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter tamen dubitabatur, non est ob hoc fœnerator existimandus. at qui ex eo, quod pecuniarum â se mutuo datarum periculum suscepit, aliquid ultra sortem percipit, fœneratoris labe non caret. *d. c. fin.* Ac tanto odio semper est habitum usurarum crimen, ut Alex. 3. olim rescripserit, nec redimendorum quidem à Barbaris captivorum gratia fœnori dare, aut accipere licere. *c. super eo.*

Quare cum tam enorme hoc vitium habeatur, meritò etiam gravi pœna fuit vindicandum: quocirca ab eodem Alexan. in Concilio Lateran. statutum fuit, ut manifesti usurarij nec ad communionem admittantur altaris: nec (ubi in hoc peccato eos mori contingat) sepulturæ concedantur: nec eorum oblationes accipiantur. & qui contra supradicta eos admiserint, dignè puniantur. *c. quia.* Et rursus idem Alexan. constituit, ut laici fœnus exercentes usq; ad dignam satisfactionem vinculo excommunicationis adstringantur, & clerici ab officio, & beneficio suspendantur *c. præterea.*

Arbi-

Arbitrio ejus judicis relinquetur, à qua supradictarum pœnarum incipere malit. *Ab. d. c. præterea.* Atq; ut Lateranensis Concilij canon sanctiùs custodiatur, addidit Gregor. X. ut quanquam manifesti usurarij de usuris, quas receperunt, satisfieri expressa quantitate, vel generaliter in ultima voluntate mandaverint, nihilo tamen minùs ecclesiastica sepultura eis denegetur, donec de usuris ipsis fuerit, ut eorum facultates patiuntur, plenè & integrè satisfactum, vel ijsdem ipsis, qui usuras solverint, si præstò sint, vel alij, qui eas possit acquirere, vel his deficientibus loci ordinario, ejusve suffecto vel Rectori parochiæ, sub qua testator habitat, coram aliquibus ejus Parochiæ hominibus integris, aut servo publico ordinarij ipsius mandato, quibus quidem personis liceat cautionem hujusmodi creditorum nomine, hujus constitutionis authoritate accipere, ita quod illis perinde actio acquiratur, ac si ijsdem ipsis creditoribus cautum esset. Et, si quidem receptarum usurarum quantitas fuerit manifesta, illa semper in hujusmodi cautione exprimenda est, sin minùs ea quantitas exprimetur, quàm is qui cautionem acceperit, judicio suo arbitratus fuerit. qui, si minorem veritate quantitatem sciens

sciens fuerit arbitratus, ad reliqua creditori sarcienda tenebitur. Sanxit præterea, ne quis manifestorum fœneratorum testamentis interfit, nec quis eos ad confessionem admittat, vel absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro viribus facultatum præstent idoneam cautionem: & testamenta contra hæc condita ipso jure irrita esse decernit. *c. quanquam in 6.* Si verò nusquam appareant illi, à quibus usuræ acceptæ sint, cum tamen certum sit ab aliquibus fuisse acceptas, poterunt malè ablata pauperibus dividi. *c. cum tu. cap. Michael.* Verùm ut ijsdem ipsis potiùs, qui detrimentum passi sint, reddatur, quàm incertis distribuatur, quod certarum sit personarum, opimum erit publicis edictis pronunciare in locis à quorum incolis solutæ sunt, ut quisquis fœnoris nomine à se aliquid sciat oblatum, id veniat recepturus. *gloss. d. c. quanquam. in ver. satis fieri.*

Fœneratoris quoq; hæres poterit ijsdem modis, quibus ipse fœnerator posset, si viveret, ad restituendas usuras compelli. *cap. tuæ nos.* Quinimo si quis fœnerator à sede apostolica literas impetrarit de usuris sibi restituendis, vel fructibus sibi in sortem computandis nulli ei commodo erunt literæ impetratæ, nisi priùs restituerit

ſtituerit uſuras, quas ab alijs noſcitur abſtuliſſe ipſe, *c. quia fruſtra.* vel author ejus. *c. Michaël.* Si aliqui exiſtant, qui proculdubio ſint uſurarij manifeſti, quamvis nec ſint condemnati, nec contra eos propter potentiorum metum, qui eos tuentur, ullus accuſator appareat, hi tamen ſi alijs argumentis conſtiterit, eos fœneratores eſſe manifeſtos, poterunt Lateranenſis Concilij pœna puniri. *cum in tua diœceſi extra.*

Judæi quoq; ad reſtitutionem uſurarum, quas à Chriſtianis retulerint, compelli poſſunt, interdicta eis Chriſtianorum ſocietate. *c. pe. extra.*

Utq; omnis occaſio removeatur, qua contra ſupradicta fœnus exerceri poſſit, ſtatuit idem Gregorius, ne quis dominus, vel univerſitas patiatur quempiam alienigenam in terris ſuis domos fœnori exercendo conducere, neve aliquis domos eis locet, pœna tam contra laicos, quàm contra clericos, qui hæc fuerint præcepta transgreſſi ſtatuta. *c. 1. in 6.* Et Clem. V. Chriſtianorum conſortio interdictos eſſe juſſit, quicunq; ſuper uſuris ſolvendis ſtatuta ordinarint, fecerint, ſcripſerint, vel dictarint, vel ſecundùm ea ſtatuta judicarint. oneratq; fœneratores omnes in cauſis de fœnore vertentibus rationum ſuarum libros adverſarijs, proferre & exhi-

exhibere. Item eos hæreticos esse decernit, qui asseverare non dubitarint, minimè peccatum esse fœnerari. *cle. 1.*

In causis super usuris vel eas quoquomodo tangentibus procedi potest simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura judicij. *clem. dispendiosam. de judic.*

## TITULUS VIII.

### *De crimine falsi.*

CRimen quoq; falsi magnum æstimatur, magnisq; pœnis vindicatur. nec id immeritò, quandoquidem non unus hoc crimine læditur. nam Deus in primis tum judex, & is denig; adversus quem falsum adstruitur, simul offenduntur. *c. 1. de crimin. falsi.* & quibusnam modis falsum deprehendi possit in literis, quæ Romani Pontificis nomen præscriptum habent, diserte exposuit Innocen. 3. Archiepiscopo, & canonicis Mediolanensibus. *c. licet.*

Quatuor autem in primis sunt, quibus diligenter inspectis, non poterit falsitas ulla, si qua fuerit, latere. nam aliquo infrascriptorum quatuor falsitas ferè patrari solet. aut in diplomate, quo pro sigillo utuntur Petri & Pauli Apostolorum imagines in cera impressas habente: quam bullam vulgò appellant, quæ funiculo

appensa

appensa manet. aut in ipso funiculo
titur, qui per chartam plicatam trajectu
lam chartæ annectit. aut in charta ipsa.
deniq; in literarum stylo deprehenditur.
*quàm gravi. in fi. & c. cum olim. in fi. de privileg.*

Ex qua regula sic generaliter tradita dili-
gentissimus quisquis codicillos omnes Ponti
ficios, quanti sint faciendi, facile dijudicare
poterit. & ne singulis casibus explicandis mo
ram traham, hos infrascriptos breviter retu
lisse sufficiat. nam literæ à Summo Pontifi
ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcop
scriptæ quibus eos filios appellant, falsi crimi
non carent, quod à stylo curiæ Romanæ al
horreant. sicut etiam econverso, quæ ab eode
Pontifice ad Reges, Principes, aliosve cujuscun
ordinis, vel gradus missæ literæ alio, quàm f
liorum nomine eos compellant. *c. quàm grav*
Item uni scriptæ literæ eum plurium numer
appellantes. Deprehendet etiam falsitatem pe
spicacissimus quisq; si animadvertet nonnun
quam adulterinum sigillum codicillis appen
vel funiculum veris literis detractum adulte
nis apponi: vel chartam, in qua veræ literæ s
ptæ fuerant, penitùs abrasam alia tenuissim
charta alterius sententiæ literis conscripta te
sisse

cissime conglutinari. alij præterea sunt modi, quos ex Innocentiana Epistola colligere potestis, *d. c. licet.* & demũ nemini fas est codicillos Apostolicos vel in tantulo puncto violare, nisi ei, cui id officij sit demandatum. quod si quis ausus fuerit, excommunicationi addictus erit, à qua præter Rom. Pontificem nemo eum poterit sublevare. *Bernar. Diaz. tit. de crim. fal.*

Hujus autem delicti pœna est in eum, qui falsitatis author extiterit, si laicus sit, ut Christianorum communitate interdicatur, non ipse modò, sed etiam ipsius in delicto adjutores quamvis etiam alieno ministerio ad id flagitij usus sit, alteri fortè id fieri mandans. Clerici verò officijs & beneficijs privati, & ab ordinibus suis depositi laicorum curiæ relinquuntur puniendi. At, qui non ipsi falsum perfecerint, aut fieri mandarint, falsis tamen ab alijs fabricatis literis scientes, usi fuerint, si clerici sint, officijs & beneficijs spoliantur, laici excommunicatione devinciuntur. *c. ad falsariorum.* Aliorum verò judicum sive à sede Apostolica datorum, sive alterius generis literas adulterantes, vel quæ ex Cancellaria, vel à pœnitentiario Papæ proficiscuntur, qua pœna affici debeant, ex alijs locis petendum est. *Soci. c. ad*

*falsariorum.* Sicut etiam, qui falsum sigillum alicujus supposuerit, vel falsam monetā cuderit: *c. ad audientiam. extra. & in extrav. ag. vn. Joan.* & æs aurum, argentum, alchymistica fecerit. *c. fin in extrav. cog.*

## TITULUS IX.

### *De diversis delictis.*

SUnt & alia crimina præter supradicta non minore animadversione digna: ut ecce clericus contra Episcopi sui vitam vel honorem, conjurationem machinatus, nec potis ad sanitatem ullo modo flecti, deponi potest, & in manibus secularium deseri puniendus. *Bernar. Diaz. eod. tit.* Item majestatis læsæ crimini obnoxius clericus, cujuscunq; ordinis sit, deponitur. *idem Diaz. ubi supra.*

Homicidium quoq; nemo ignorat crimen horrendum censeri, tunc præsertim, cum neq; fortuitò, neq; necessitate ad id impellente committitur, sed libera voluntate id suggerente, quod si à laico patratum sit ecclesiasticæ ditioni subjecto, judex ejus ecclesiasticus causam seculari judici mandabit, ut ille justitiam faciat. *c. clericis. ne cler. vel mona.* ille secularibus legis decretas pœnas in eum statuet, sin clericus sit, deponetur, atq; etiam si adiacentes crimini loci

valdè

valdè illud exaggerent, ut jam non videatur amplius dissimulanda aut ferenda rei proterva temeritas, laicorum manibus sacris ei ordinibus antè ablatis plectendus dimittetur. *c. cum non ab homine. ubi doct. de judic.*

Sed & furtum, id est, contrectatio rei alienæ invito domino lucri faciendi causa facta, non levem irrogat authori suo notam & pœnam. Clericus enim fur deponitur, & cum nullam correctionem admittit, excommunicatur. deinde contumacia crescente anathematis mucrone feritur. quod si adhuc in profundum malorum veniens contempserit, seculari potestati relinquitur exilio, vel alia legitima pœna puniendus. *c. cum non ab homine.*

Adulterium quoq; , id est, alieni thori violatio magnam pœnam meretur. nam clericus deponitur, laicus excommunicatur. *c. significasti. ubi Ab. de adulte. c. at si clerici. §. de adult. de jud. Host. in summa.*

Item stuprum, id est, illicitam virginis defloration pœna non levis manet. nam laicus, qui virginem stupro deceperit, corruptam à se virginem dote illi idonea à se constituta uxorem ducere tenetur. quam si jungi sibi recusarit, corpore afflictus & excommunicatus

in monasterium conijcitur. clericus verò flagris cæditur, interdumq; pœna pecuniaria mulctatur. & quandoq; etiam deponitur. *c. 2. de adult. Di. eo. tit.*

Item raptores, id est, qui puellas vi illata à domo patris abducunt, ut corruptas à se uxores habeant, pœnas severas non evadunt; sive puellæ duntaxat, seu parentibus solis, seu utriſq; vis facta dicatur. nam clerici à gradu suo deijciuntur. laici excommunicantur unà cum adjutoribus suis: *c. eos. c. de puellis 36. q. 2.* & pœnam pecuniariam inferre coguntur. *c. de raptoribus. ea. q. & cauſ. Hoſt. in ſumma.*

Qui incendium quoq; posuerit dolosè, pœnam canonicam non effugit. nam laicus excōmunicatur, nec absoluitur, nisi damno priùs restituto, & juramento præstito, quod nullum posthac incendium ejus dolo excitabitur. *c. peſſimam. 27. q. 8. Hoſt. in ſumma.* Clerico autem in id sceleris lapso (quod abominamur) judicis considerati & prudentis arbitrio pœna imponetur. *Diaz. tit. de incend.*

His adduntur & aliæ delictorum species, veluti, sortilegium. Sortilegi autem dicuntur (ut Isiodoro placuit) qui sub fictæ religionis specie per quasdam sortes, quas ipsi apostolo-

rum,

rum, aut aliorum sanctorum hominum nominibus prætegere enituntur, divinationis scientiam profitentur, aut certarum scripturarum inspectione futurorum eventum se prædicere posse gloriantur. *c. uno. 26. q. 1.* quorum pœna est ex concilio Lateranensi sub Leone X. celebrato antistitum arbitrio permissa: nisi in eo vitio perseverarint, nam tunc ex eodem concilio deponuntur, & in monasterium ad tempus judicis arbitrio diffiniendum detruduntur. beneficijsq; & officijs ecclesiasticis quibuscunq; privantur. *Diaz. tit. de sortileg.*

Perjuris verò præterquam quod & beneficia auferuntur & ordinum interdicitur executio, aliæ quoq; pœnæ adduntur pro rei qualitate. *Rip. c. 2. de reser. c. tua nos. de jurejur.*

Blasphemus autem clericus ex eodem ipso Lateranen. concilio ita punitur. nam prima vice, qua de hoc crimine fuerit convictus beneficiorum omnium fructib. annuis spoliatur, altera vice, beneficij ipsius, quod unum ei sit, jacturam sustinebit: sin plura beneficia habeat, illud ex eis amittet, quod ordinarius ei adimere statuerit. tertio demum ad vomitum reversus & convictus, dignitatibus omnibus, & beneficijs ipso jure privatus censebitur. *Bernar. Diaz.*

*tit. de Blasphem.* alia tamen pœna olim statuta erat per Gregor. IX. *c. fin. de maledict.*

Cæteras autem delictorum species, si quæ sunt, & eorum pœnas studiosus ex corpore juris canonici excipiet, nos enim de his tantum diximus, quantum pro instituto nostro necessarium esse judicavimus.

## TITULUS X.

### *De Pœnis.*

Sed cum varia pœnarum genera inventa sint, quibus delicta vel severè, vel remissè, prout eorum qualitas exegerit, puniantur, *c. ad reprimendam. ubi glo. de offic. ordin.* earum aliquas enumeremus, ut proinde sciant judices acti judicio æstimare, quænam pro delicti qualitate, & delinquentis statu & conditione, omnibusq; circumspectis maturè statuenda sit.

Et maxima quidem jure nostro pœna est degradatio, id est, omnibus gradibus, & ordinibus spoliatio. quæ etiam in clericum minorum ordinum cadere potest. eaq; est duplex. altera quæ solis verbis fit, & depositio simplex appellatur. altera, quæ non tantùm verbis, sed etiam factis celebratur, ideoq; actualis appellatur degradatio: & certus in ea Episcoporum numerus desideratur. nam Episcopo deponendo

do Episcoporum duodecim præsentia opus est? quod tamen nec sine authoritate summi Pontificis fieri debet. *c. quod ad translationem. ubi glo. de offi. leg. c. discutere. c hæc quippe 3. q. 6. c. accusatores. §. judices. & seq. 3. q. 8. & c. duodecim. 5. q. 4. Ab. c. non potest. de re judica.*

Presbytero autem deponendo sex Episcopos interesse satis fuerit. Diacono & Subdiacono, tres præter proprium ipsius Episcopum. cæteris clericis deponendis sola proprij ipsorum Episcopi sententia sufficiet, *c. felix. 15. q. 7.* cum clericorum tamen suorum præsentia. *cã. degradatio. in 6. c. episcoporum. 15. q. 7.* Criminis tamen hæresis damnatum sacerdotem, vel alium clericum in sacris ordinibus cõstitutum, poterit suus Episcopus solus convocatis Abbatibus, alijsq; prælatis, & religiosis personis, & literatis suæ diœcesis, quos vocare voluerit, degradare. *c. 1. de hæret. in 6.*

Multa autem solennitas in solenni degradatione requiritur, quæ tam ex Concilio Carthaginiensi secundo, quàm ex Bonifacij rescripto ad Arelatensem Episcopum præscripta est. *cã. de gradatio. in 6. & d. c. felix.* Eo etenim modo fit, quo exauthorari solet, qui in militiam armatam adscriptus est. nam sicut illi

militaria detrahuntur insignia, atq; à militia, & castris exturbatur privatus consortio & privilegio militari, ita clericus in cœlestem militiam receptus, singula ordinum quos receperit, insignia reddere compellitur, qua degradatione perfecta exinde curiæ seculari præsenti est tradendus, ut eum in forum suum recipiat, & pœnas, quas ei visum fuerit, infligat, habita ejus erroris tamen aliqua miseratione, quod ut judex secularis faciat, & præsertim ne mortem ei inferat, à judicib. ecclesiasticis est impense monendus, & rogandus. *Abb. c. monuimus. in fin. per illum tex. de verb. sig.* Simplex autem depositio nullam facti solennitatem desiderat, quippe ejus executio est degradatio actualis, & si non tamen semper depositio verbalis fiat, quo actualis executionem secum trahat, quo casu multa ex suprà dictis remitti aliqui censuerunt. *Ab. de c. non potest. col. 4. de rejudic.* Non solet autem depositio nisi pro gravibus & capitalibus delictis inuri, & nisi legibus canonicis cautum sit, *gl. mag. in fi. c. 1. 15. q. 8.* & gravius etiam negotium oportet esse, ut actualis degradatio fiat. *Abb. ca. at si clerici. colum. pen. & ante pen. de judic.* & ex his causis fieri potest videlicet propter hæresim. *c. 1. de hæret. in 6.* crimen falsi.

*d. c.*

*d.c. novimus.* schisma indomitum, homicidium atrox. putà parricidium, vel Episcopi aut presbyteri cædem. *Ab. Dec. d. c. at si clerici.*

Carcerem quoq; ad perpetuum damnatio non infima est inter pœnas, quæ hoc jure irrogari solent. nam etsi reis custodiendis, magis quàm puniendis carceris angustiæ inventæ sint, jure tamen nostro hic quoq; carcerum usus pro delinquentium supplicio est acceptus. *c. quamvis. ubi gl. in 6.* atq; hæc pœna capitalibus interdum annumeratur. *Fel. c. qualiter 2. §. ad corrigendos. de accusat. Diaz. in pract. crim.* eiq; supplicio quàm simillima est, quo seculares utuntur, dum quempiam ad metallum vel triremes damnant. *Fel. & Diaz. ubi sup.* & in eum, qui depositus fuerit, exerceri potest: his videlicet casibus, quibus in foro laicorum vita adimeretur. *Ab. c. tuæ de pœn.* potest tamen etiam ad tempus fieri in carcerem relegatio. *d. c. quamvis. in fi.*

Item beneficiorum ademptio gravis pœna censetur, nec nisi pro gravibus delictis imponi solet. *c. inventum. 16. q. 7. ubi glo. Abb. c. dilectus. 1. nu. 3. de rescript.* & nisi delictum eam privationis pœnam mereri in jure sit expressum: ut contingit etiam cum agitur de aliquo privando potestate eligendi vel præsentandi, *Glo. & Ab. c. fi.*

*de jure patron.* & in bonorum quoq; publicatione hæc locum habent. *c. decrevit. de hæret. in 6.*

Supplicij etiam loco detruduntur fontes quandoq; in arctum monasterium, extra quod eis facultas non fit exiliendi, quod fere post depositionem factam contingit. *c. tuæ. ubi Abb. de pœn. c. sicut dignum. §. clericos. de homicid.* hinc judicari potest ex gravioribus duntaxat delictis hanc pœnam irrogari solere. *Abb. d. c. tuæ. colum. 2.* Item possunt clerici notis & stigmatibus compungi, dum citra sanguinem id fiat: idq; post depositionem duntaxat. *c. ad audientiam. de pœn.* Servitutem quin etiam in pœnam interdum canones irrogant. *cap. ita quorundam. §. clericos. de judæ.*

Suspenduntur etiam nonnunquam clerici ab officijs, vel omnibus, vel aliquibus: idq; vel ad tempus, vel perpetuò: & ab ingressu ecclesiæ, & ab administratione, & à beneficio, & alijs pluribus modis. *cle cupien. ver. suspensi. de pœn. ubi gl.*

Ac ubi interdicuntur ab ecclesiæ ingressu, eo casu si in ea celebrare non dubitarint, irregulares efficiuntur. *c. is cui. de senten. excom. in 6.* suspensionis verò, & interdicti sententia est in scriptis proferenda causa expressa: cujus exemplum est suspenso vel interdicto petenti infra mensem edendum. *c. 1. de sent. excom. in 6.*

Mit-

Mittuntur etiam interdum in exilium delinquentes ex juris canonici constitutionibus. *cap. de calum. c. hi qui 3. q. 4. & c. cum beatus 45. dist. c. audientiam. de crimi. falsi.* Verberibus quoq; fontes affici possunt, dum moderate id fiat citra sanguinis effusionem, & præsertim citra vitæ & membrorum periculū. *c. cum beatus. 45. dist. c. 1. in fi. de calum. c. in Archiep. de rapt.*

Adimitur etiam in pœnam aliquando privilegium clericale. *de vita & honest. c. fin.* Indicuntur jejunia, & pecuniariæ mulctæ irrogantur. quæ mulctæ ipsorum tamen judicum usui non sunt adscribendæ. *c. dilectus. de offic. ord. c. licet. de pœn.* Item cessatur quandoq; à divinis: & interdicuntur ecclesiæ sacramenta, & divina officia aliquibus in pœnā celebrari, & vindictā. de quibus duobus inf. separatim sumus dicturi.

Excommunicationis autem pœna etsi capitalis non habeatur. *Ab. c. cum contingat. n. 3. c. de foro competen.* omnium tamen pœnarum longè maximè formidanda est, de qua mox subijciemus.

## TITULUS XI.

### *De excommunicatione.*

VIdendum est igitur de excommunicatione, quæ sicut medicinam affert eam

metuenti, atq; (ut decet) magnifacienti, sic contrà si fuerit contempta, mortem æternam invehit excommunicato: *c. 1. in 6.* Et nihil est aliud excommunicatio (ut Panormitanus Abbas diffinivit) quàm censura à canone, vel judice ecclesiastico prolata, privans legitima cõmunione sacramentorum, & quandoq; hominum. Unde hoc nomen accepit, quasi extra communionem. *Ab. in rub.*

Eaq; duplex est: scilicet, major, quæ non sacramentorum modò, sed etiam hominum communitatem, & consociationem adimit. & minor, quæ sacramentorum quidem usu interdicit, sed hominum consuetudinem permittit, hæcq; etiam sola participatione cum excommunicato incurritur. *c. si. 3. q. 4 Ab. c si celebrat. de cleric. excom. ministr. & in rub. col. 2.* Quibusdam tamen personis etiam per talem participationem nullum excommunicationis periculum imminet: *c. inter aliam. extra & ca. quoniam multos. 11. q. 3.* ut uxoribus, filijs, servis, ancillis, alijsq;, quos nulla est suspicio in crimine excommunicato famulaturos.

At qui minore excommunicatione est illigatus, si celebrat, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, licet graviter peccet. nec eligere

gere prohibetur: nec ea, quæ ratione jurisdictionis sibi competunt, exercere, si tamen sciens electus fuerit, ejus est electio infirmanda. peccatq; conferendo ecclesiastica sacramenta: sed ab excellata virtutis non tamen carent effectu, cum non videatur à collatione, sed à participatione sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione, remotus. dummodo non in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra prohibitionem superioris communioni excõmunicatorũ pertinaciter se ingesserit: quo casu est anathemate feriendus. *c. si. de cle. excom. min.*

Excommunicatio major quandoq; ab homine impingitur, quandoq; à lege irrogatur. à lege quidem irrogatur, ut adversus eum, qui in clericum violentas manus intulerit *c. si quis suadente diabolo. 17. q. 4.* & alijs quibusdam casibus. delictorum enim puniendorum causa, ut plurimùm, jura à communitate hominum aliquem summovent: sed homo, cum excommunicationem infligit, (quæ potestas cuivis prælato jurisdictionem habenti permissa est) ferè contumaciæ in pœnam id facit. quæ contumacia vel non veniendo, vel non parendo commissa sit. *Ab. in rub. in pri. c cum non ab homi. ubi gl. de judi. Abb. c. cum contingat. nu. 31. de foro compe. gl. c. ex parte. de verb. sign.*

Irrogatur etiam interdum excommunicatio majore quadam solennitate, ut contumacia gravior ostendatur, quæ excommunicationis species proprio vocabulo anathema vocatur, eaq; fit cum Episcopum excommunicationem infligentem duodecim sacerdotes circumstant candelas ardentes manibus tenentes, quas sub ipsum anathematis intorti finem in terram projectas pedibus conculcant. deinde Epistola per ecclesias parochas mittitur continens excommunicati nomen, & excommunicationis causam. *c. debent. 11. q. 3. Fel. c. 2. n. 7. & 8. de excep.* Quæ excommunicatio tamen nihil gravioris oneris excommunicato imponit, quàm alia nisi quod eadē solennitate absolui ipsum est necesse, qua lata fuit. non tamen admodum frequenti in usu hæc esse videtur. *Abb. ca. cum contingat. num. 31. de foro compet.*

In excommunicatione ferenda hoc generaliter est observandum: ut non prius in aliquem intorqueatur, quàm ille trina monitione, cum justis dierum intervallis monitus sit: personisq; idoneis præsentib. ferri debet. qui secus egerit, etiamsi justa alioqui fuerit excommunicatio, mensem tamen ecclesiæ ingressu erit interdictus, & graviori etiam pœnæ subijcietur, si fuerit

fuerit visum expedire. nec debet ullo casu excõmunicatio sine justa causa proferri. *c. sacro. ubi gl. & c. contingit. 2* in scriptisq; est promulganda, excommunicationis causa nominatim adjecta, & Schedæ exemplum infra mensem, si petitum fuerit, excommunicato est exhibendum, *ca. 1. in 6.* quod etiam in suspensionis & interdicti sententia servari suprà docuimus. *suprà d. pœ.*

Major excommunicatio, quæ à lege infligitur, non potest ab alio, quàm ab Episcopo, vel superiore auferri. quinimo plures sunt casus, quibus nec ipse Episcopus ab ea soluere potest: ubi scilicet conditor canonis sibi ipsi reservavit absoluendi potestatem. Cujusmodi casus multi sunt diversis in locis enumerati, inter quos infrà scripti referri solent, quos gratia exempli subijcimus: cum scilicet quis in clericum injuriosas manus intulerit, quibusdam articulis exceptis. *d. c. si quis suadente diabolo.* si quis ecclesias perfregerit, & spoliarit. *c. conquesti.* si quis incendium fecerit. *c. tua.* quod post divulgationem factam accipiendum est. si quis excommunicatis à summo Pontifice sciens, ac sponte participaverit in divinis officijs. *c. significasti.* si quis falsas literas se habere cognoscēs, illas infra viginti dies, neq; destruxerit, neq; re-

signa-

signarit. *c.dura. §.fi. de crim.fal.* eaq; causa fuerit antè lata sententia excommunicatus. *gl. & Ab.d.c.dura.in fi.* Hi enim casus, & si qui alij similes sunt per decretalium Epistolarum volumina dispersi absolutionem Apostolicam desiderant. Sententia verò excommunicationis ab homine prolata, ab eodem etiam auferri potest, à quo fueris prolata. *Hostien. in sum. ver. si verò sit lata.*

Et in minoris quidem excommunicationis vinculo dissoluendo alia solennitas non exigitur, quàm ut sacerdos dejectam sibi ab excommunicato causam excommunicationis in sacramento pœnitentiæ cognoscat, & eum absolvat, restituendo eum ecclesiasticis sacramentis, quibus fuerat privatus. *Hostiens. versi. qualiter hæc absolutio.*

In majoris autem excommunicationis relaxatione, major etiam solennitas adhibenda est, sive à lege, sive ab homine inflicta sit. nam primùm non antè absoluendus est, quum offensa est manifesta, quàm juramento promiserit, se mandatis ecclesiasticis pariturum *&c. ex tenore.* & de omni damno illato, omniq; offensa plenè satisfecerit. vel saltem cautionem cum juramento præstiterit, (ubi tunc de damni summa non constaret) se satisfacturum. *Hostien. ubi supra.*

*Prā §. secundum.* vel ubi ſoluendo non erat, *c. ex Parte. ubi gl. ver. contumacia. ibi. quod ſi aliquis ita pauper. de ver. ſign.* quibus peractis ille qui abſoluendi jus habet, vel cui mandatum ſit à poteſtatem habente hujuſce negotij cauſa aditus excommunicatum corā ſe ſuppliciter proſtratū ſervata forma abſoluet. *Hoſtienſ. d. §. ſecundum.*

Sciendum eſt eum, qui à diverſis prælatis varias ob cauſas excommunicationis vinculo eſt innodatus, non poſſe abſolutum nunciari, niſi de omnibus ſatisfecerit, quamvis de una cauſa paratus ſit ſatisfacere, ſupprimenti quidem veritatem abſolutio ſurrepta non prodeſt, & veritatem intelligens abſolutionem hujuſmodi exhibere non deber. *c. officij.*

Semel excommunicatus, omni tempore tanquam excommunicatus vitandus eſt, niſi legitimè doceat ſe abſolutum. *c. ſicut nobis.*

## TITULUS XII.

### *De interdicto.*

INterdictum eſt ſententia à judice eccleſiaſtico lata, quæ divina officia prohibet palàm celebrari, & ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrari.

Interdici autem ſolent vel homines, vel loca, vel utrunq; ſimul. & homines quidem interdicto ſupponi poſſunt vel generaliter, vel ſpecialiter, vel ſingulariter. Gene-

Generale interdictum hominum dicitur, cum alicujus regni, vel provinciæ, vel civitatis, aut castri populus distringitur. quo casu locus ipse interdicto non continetur, nec clerus: quare poterit tunc in ecclesijs non secus ac priùs celebrari omnibus peregrinis admissis, interdictis tamen exclusis. *Gemi. c. si sententia. col. 2. in fi. de sent. excom. in 6.* Speciale autem contra homines dicitur interdictum, cum aliqua multitudo sub certo vocabulo comprehensa, sed in populo inclusa, interdicitur. veluti, collegium, universitas, Capitulum: quo interdicto singuli ejus universitatis, collegij, vel capituli dicenrur adstricti, tam clerici, quàm laici. Singulariter verò dicuntur interdicti, qui non sub nomine collectivo multitudinis, sed nominatim sunt expressi. *Sum. Ange. ver. interdictum.*

Hoc igitur interdicti genus in homines interdictum, quocunq; ex tribus suprà dictis modis, hominem quocunq; se transferat, usq; comitatur, nunquam eum deserens. quapropter interdictus ubivis locorum sit, ab illis actibus arcetur, qui ex interdicti causa sunt prohibiti.

Æquè loca tribus supradictis modis interdici possunt. & generale quidem loci interdictū est, cum provincia, regnum, vel diœcesis interdicuntur. Speciale, cum civitas, rus, castrum, pagus.

gus. Singulare, cum ecclesia, vel sacellum. quibus locorum interdictis nunquam homines cõtinentur, quin extra loca interdicta possint divinorum celebrationi interesse, ecclesiastica sacramenta accipere, & sepulturæ ecclesiasticæ concedi, nisi ex his sint, quorum odio ea loca interdicta fuerint. *Sum. Ange. ubi supra.* Quo fit, ut cum propter delictum domini, vel rectoris civitas est interdicta, aut alius locus; cives tamẽ vel municipes, & quilibet indigenæ, qui in vitio non sunt, dummodo & ipsi in domini vel rectoris ultionem non fuerint interdicti, possint extra locum interdictum divinis interesse, & ecclesiasticorum capaces sint. *c. si sententia. de senten. excom. in 6.* Si civitas, castrum, aut pagus subijciatur interdicto: eorum suburbia, & continentia ædificia, eo ipso interdicta intelliguntur, ne vilipendi & deludi possit sententia interdicti, si in suburbijs liceat celebrari. qua ratione, si ecclesia sit interdicto supposita, nec in sacello ejus celebrari, nec in cœmeterio ecclesiæ contiguo sepeliri poterit. *c. si civitas. de senten. excom. in 6.*

Ne verò temerè hanc interdicti pœnam irrogari contingat, statuit, Bonif. VIII. ne quis interdicti sententiam proferat, qui canonicam monitionem non præmiserit. *c. statutum. de excom.*

*com. in 6.* ut in excommunicationis quoq; & suspensionis sententia olim per Gregor. X. fuerat constitutum, & per Innoc. III. Item statutum est, ut sententia interdicti proferatur in scriptis causa interdicti addita: ejusq; exemplū sententiam passis intra mensem, si fuerit petitum, edatur. *c. 1. de senten. excom. in 6.*

Sed ne hujusmodi interdictis durantibus fideles homines penitùs careant optatis ecclesiæ sacramentis, quod grave damnum esset Bonif. VIII. sua Constitutione providit, ut interdicti quoq; in locum prolati tempore pœnitentiæ munus etiam sanis non denegetur. nisi vel excommunicati sint: nam hi mortis tempore duntaxat admittuntur, vel nisi interdicto causam, aut ejus authoribus suppetias dederint, qui nisi priùs satisfecerint, vel cautione data promiserint, se satisfacturos, pœnitentiæ digni sacramento non existimantur. Idemq; Bonif. VIII. ne aliquorum delicta causam præbere possint, ut ecclesia suis debitis obsequijs defraudetur, intereaq; ecclesiarum ministri, dum ab suis muneribus immunitatem haberent, otio torperent, & fortè etiam ritus ecclesiæ sacros tam ipsi quàm laici oblivisc erentur, ea propter consultè disposuit, ut interdicti tempore omnibus diebus in ecclesijs missæ non minus

nus celebrarentur, quàm prius, submissa tamen voce, & januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis sine campanarum tinnitu, quibus officijs si qui clerici vel canonici non interfuerint, distributionibus canonicis non secus privatos esse jubet, quàm si nulla interdicti sententia subesset. Quatuor autem solennibus anni diebus januas quoq; patefieri ecclesiæ, campanas pulsari, & clara voce officia celebrari concedit, qui dies sunt, Natalis Dominici, Paschæ, Pentecostes, & assumptionis sacræ Virginis: additò per Martinum solenni corporis Christi die usq; ad octavã. *Summa. Ange. ver. interdictum.* à quibus tamen officijs excommunicati arcendi sunt: interdicti verò his diebus admittuntur, modò altari non appropinquent. *c. fin. de sent. excom. in 6.* Quæ Bonif. modò relata constitutio longè meliùs & utiliùs providit, quàm Cõstitutio Gregoriana, quæ ante hanc emanarat, illa siquidem interdicti lati tempore semel in hebdomada tantùm missas celebrari Eucharistiæ conficiendæ gratia permittebat, voce suppressa, januisq; ecclesiæ obseratis, & omni cãpani æris tinnitu cessante. *ca. permittimus. de sent. excom.* Pleniùs etiam uberiusq; providit, quàm constitutio Innocentiana: *c. quod te. de pœnit, & remiss.* qua nec pœnitentia morientibus

bus, nec verè pœnitentibus viaticum denegatur, & conceditur, ut clerici decedentes, qui tamen servaverint interdictum in cœmeterio ecclesiæ sine campanarum pulsatione cessantibus solennitatib. omnibus cum silentio tumulentur. Et ut in conventualibus ecclesijs bini & bini, vel simul tres horas canonicas valeant legere, non cantare, januis clausis, interdictis & excommunicatis exclusis, & voce ita demissa, quod extra audiri non possint. Baptismus, & confirmatio, & chrismatis confectio, & viaticum, & pœnitentia, (ut suprà diximus) item matrimonium interdicto vigente non censentur adempta. *c. sacro. de sent. excom. d. c. quod in te. Abb. c. non est. de spons.*

Contra eos verò, qui interdicta non servarint, sive clerici, sive laici sint, Clem. V. providè statuit, quid observari debeat, & qua pœna sint mulctandi: ficut etiam contra eos, qui cessationem à divinis jure factam fuerint transgressi. *clem. 1. 2. & 3. de sent. excom.* de qua cessatione titulo sequenti dicemus.

## TITULUS XIII.

### *De Cessatione.*

CEssatio igitur, quam clerici faciunt, dum divina officia laicorum irritati injurijs intermittunt, etsi interdicto similis videatur, re-

vera

vera tamen aliud quid ab interdicto diversum est, præsertim si specialiter facta sit. *Summa. Ang. ver. 1.* Ea tamen interdicti exemplo non pro quavis offensa levi, sed pro gravioribus tantùm fieri debet: puta, si onera clericis per laicos imponantur: si contra eorum libertatem statuta à laicis facta sint: si à Principe seculari clericus detineatur captivus. hæc quippe & similia possunt justam causam cessationis præbere. pensionis autem subtractæ causa nequaquàm cessatio fieri potest. *ca. quicunq. ubi gl. ver. cessare. & ver. causa. de offi. ordi. in 6.*

Et quid in cessatione facienda servari debeat, duo Romani Pontifices, Gregorius IX. scilicet & Bonifacius præscripserunt. Quorum alter scilicet Bonif. statuit, ut canonici, quibus à divinis cessandi jus est id ne faciat, nisi omnibus canonicis vocatis, perinde ac si electio quapiam esset celebranda; & deliberatione inter se facta ab eo percontentur, qui cessationi causam præbet, an velit irrogatam offensam sarcire; qui si velle se sarcire responderit, non cessabunt; sin contrà, cessare poterunt, ita quod intra mensem à cessatione utraq; pars vel per se, vel per procuratores ad summum Pontificem iter arripiat, ni si concordia interim inter eos intercesserit, & quàm celerrimè poterunt, se coram Pontifice

Maxi-

Maximo sistent, ut ille negotium finiat, meritosq; condigne puniat. quæ si pars cessare volens non servarit, cessatio parvi erit æstimanda. *c. quamvis. de offic. ordin. in 6.*

Alter verò, id est, Gregorius hanc formam dedit, ut qui cessare volunt, propositi hujus causam instrumento publico, vel literis patentibus exarent, suo aut alieno authentico sigillo signatis, illiq; edant, cujus odio cessare decreverint: quam si formam prætermiserint, vel causam non legitimam prætulerint, quicquid medio tempore ab ea ecclesia tulerint, vel perceperint, restituere cogentur, nec aliquid deinceps percipient, eiq; in cujus cessaverint contumeliam, de injuria satisfacient. at si non injustè eos cessasse constiterit, quicquid sua interfuerit, ab his repetent, quorum irritati injurijs cessaverint, & certam præterea quantitatem, quam prælatus fuerit arbitratus. eorumq; rejicitur, & damnatur consuetudo, qui in hujusmodi cessationibus crucem, aut virginis sanctæ, aliorumve sanctorum imagines spinis vel urticis obruere consueverunt. *ca. 2. offic. ordin. in 6.*

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791377776/phys_0368
DFG

valdè illud exaggeren deatus
amplius dissimulanda oterva
temeritas, laicorum ordini-
bus antè ablatis plecte c. cum
non ab homine. ubi doc

Sed & furtum, id ei alie-
næ invito domino luc cta ;
non levem irrogat aut & pœ-
nam. Clericus enim cum
nullam correctionem a unica-
tur, deinde contumaci matis
mucrone feritur, quod ndum
malorum veniens cont pote-
stati relinquitur exilio pœna
puniendus. c. cum no

Adulterium quoq; ri vio-
latio magnam pœnan lericus
deponitur. laicus excol nifica-
ſti. ubi Ab. de adulte. adult.
de jud. Hoſt. in ſumma

Item ſtuprum, id is de-
florationem pœna nor n lai-
cus, qui virginem ſtup ptam
à ſe virginem dote illi uta
uxorem ducere tenetu bi re-
ſuſarit, corpore affli catus




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791377776/phys_0369
DFG